


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

882
H67

A 470594

De Graecorum tragicorum principum fabularum nominibus

Hilpenstiel:


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

DE GRAECORUM TRAGICORUM PRINCIPUM FABULARUM NOMINIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS HIPPENSTIEL,
LAASPHENSIS.

MARPURGI CATTORUM
TYPIS FRIDERICI TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCLXXXVII.

THEODORO BIRT

SACRUM.

158436

In Graecorum tragicae poeseos cognitione explananda doctissimi viri ingenti librorum ac libellorum copia amplum iam quo uteremur scientiae thesaurum congesserunt, cum modo depravatum verborum contextum sanarunt, modo dicendi generis argutias excusserunt, modo enarrando res descripserunt: fabularum nomina vulgo aut, sicut feruntur, bona fide recipiuntur, aut prorsus neglegunt ur, tantum, abest, ut peculiari adhuc umquam disputatione dignata sint. Sane enim propter brevitatem suam titulus iure quodam neglegitur nec facile alia de causa eum inspicis, quam ut fabulae argumentum, antequam in ipsam ingrediaris, mente praecipias. Tamen cum vel per se indices gravitatis nonnihil sibi poscant, utpote qui dramatis summam uno verbo comprehensam manifesto quodammodo ostendant, tum aliquot fabularum, quarum temporis iniquitate nil fere nisi nomina nobis tradita esse dolemus, omnem notitiam aperiunt indices. Atqui modo editiones[1]) evolvas, ne de titulis quidem videbis dubitationes deesse. Nam non solum quinam omnino re vera fuerint, qui non fuerint fabulis inscripti parum liquet, sed etiam saepissime veteres grammatici genuinas eorum formas gravibus erroribus obstruxerunt. Hos autem ut nos detegamus etsi ansam aliquam nobis veteres fabularum tabulae praebent, Aeschylearum catalogus in codice Mediceo servatus[2]), Euripidearum marmora

1) Tragicorum Graecorum fragmenta rec. Aug. Nauckius Lips. 1856, ex qua editione infra fragmenta ascribam; Poetarum scenicorum Graecorum Aeschyli Sophoclis Euripidis et Aristophanis fabulae superstites et perditarum fragmenta ex recensione et cum prolegomensis Guil. Dindorfii ed. V. Lips. 1870.

2) Cf. Dindorf. l. l. proll. p. 8; Aeschyli Septem ad Thebas iterum edid. Fr. Ritschelius Lips. 1875 proll. p. 11.

Albanum[1]) et Piraeicum[2]), tamen haec testimonia ea carent quam vellemus integritate ac diligentia. Quae vero viri docti adhuc de his rebus exprompserunt, quae infra suis quidque loco respicientur, animadversiones tantum sunt hic illic obiter iniectae nec eam exhibent aut rerum copiam aut argumentandi vim, quam nisi peculiaris disputatio praestare vix possit. Quam quod ego iam suscipere conor, contentus ero hoc loco, si de Aeschyli Sophoclis Euripidis fabularum nominibus aliqua potuero vel certa vel probabilia extricare, nec nihil mihi fecisse videbor, si modo doctiores excitaro ad has etiam res omni ex parte explanandas. Id igitur velim mecum animum intendas, ut per veterum testimonia ad eas titulorum formas, quas ipsi poetae scripserunt, quam proxime penetremus, simul ut de ratione clarius nonnulla cognoscere liceat, qua posteriores in citandis fabulis egerint. Ac mittenda nimirum ea nomina sunt, de quibus nil est hac ex parte quod dubitetur; nec in diversis codicum scripturis vagari lubebit, de quibus quae quaeres, editiones suppeditant; nec magis in argumenta, quae item editiones indicant, inquirendum erit, quod et omnino ab huius disputatiunculae consilio abest et, ut bene fieri possit, subtiliore opus est quam qua ego adhuc utor harum rerum satis etiam incertarum cognitione. Sed ne alienis laqueis implicemur neve iudicata denuo iudicentur, bona fide recipiemus, quae iam ad veri aliquam similitudinem viri docti produxerunt[3]).

1) Quod descripsit Aug. Boeckhius C. J. Gr. vol. III. n. 6047.

2) Depictum ab Udalr. de Wilamowitz-Moellendorff in analectis Euripideis Berol. 1875 p. 138 sqq.

3) Nec tamen ingredi in disputationem possum, quin hoc loco ex animo gratias egerim viro doctissimo Theodoro Birtio praeceptori carissimo, qui in recte instituenda ea liberalissime mihi qua est erga discipulos comitate adfuit atque imprimis in gravissimas eas cogitationes me adduxit, quae de duplicibus titulis proferentur (par 0).

I.

Prius autem quam singulorum titulorum formae examinentur, ne de vanis infra agamus, breviter aliquot nomina percensere liceat, quibus num fuerint omnino inscriptae fabulae dubium est.

par. 1.

Ac traduntur nobis tituli, quos nullos fuisse veri simillimum habemus. Etenim saepius veteres grammatici fabulam neglecta vera inscriptione novo indice nuncuparunt, unde e. g. Sophocleae *Ἀνδρομάχη* et *ξοανηφόροι*, Euripidea *Λαμία* prodierunt. Sed de eiusmodi vitiis aptius infra coniunctim videbimus. Errori etiam Sophoclea *Ἑλένης ἁρπαγή* tribuenda erit, quae semel memoratur (arg. Soph. Ai.). Videtur enim auctor potius *Ἑλένης ἀπαίτησιν* cogitasse, at illius tituli, qui Alexidis comici est, similitudine deceptus esse, cum parum inter notiones *ἁρπαγῆς* et *ἀπαιτήσεως* distingueret [1]. Nullo certo testimonio Aeschylea *Κύκνος* nititur[2], quoniam ex uno Aristophanis loco, ubi Cycni nomen inter grandes ac terribiles personas numeratur, quas Aeschylus produxerit[3], hoc tantum discimus, Cycni personam

---

1) Cf. Nauck. l. l. p. 136, Dindorf. l. l. vol. II. p. 130; servandum titulum censet Welckerus Nachtrag zur Schrift über die Aeschylische Trilogie p. 293 sqq., quem librum infra simpliciter Nachtr. citabo; id. Die griechischen Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet in Mus. Rhen. suppl. II. p. 158 sqq., qui liber infra Tril. dicetur; ubi tamen quae de argumento proferuntur, vix tibi omni ex parte persuadebunt, nec magis quae disserit Schoellius Beiträge zur Kenntniss der tragischen Poesie der Griechen, vol. I. Die Tetralogien der attischen Tragiker p. 300 sqq.

2) Quam exstitisse suspicatur Welcker. D. Aeschylische Trilogie Prometheus Darmst. 1824 p. 544, qui liber infra sub signo Prom. intellegendus est.

3) Ran. v. 963 *Κύκνους ποιῶν καὶ Μέμνονας κωδωνοφαλαροπώλους.*

aliqua in fabula, in qua tamen nescimus, spectatam fuisse; nam prodisse eam ipsam, non tantum narrando descriptam fuisse, in illo loco verbum *ποιῶν* satis declarat. Haud iniuria etiam Aeschylea *Φρύγιοι* deletur, quae in uno catalogo memoratur. Per *διττογραφίαν* enim ex *Φρυγῶν* nomine, quod in catalogo insequitur, videtur ea a librario quodam efficta esse. Tamen ne neglegamus, in eodem catalogo aliquot nominum terminationem corruptam esse, velut *Αἰτναῖοι* scriptum est pro *Αἰτναῖαι*, *Σαλαμίνιοι* pro *Σαλαμίνιαι*. Vera igitur scriptura fortasse *Φρύγιαι* fuerit; *Φρύγιαι* autem feminina pluralis forma non solum adiectivi, sed etiam substantivi nominis est, teste Steph. Byzant. v. *Φρυγία* — *τὸ ἐθνικὸν Φρύξ καὶ Φρύγες καὶ Φρυγία ἄνθρωπος καὶ Φρύγιον* (cf. thesaur. Graec. ling. vol. VIII. p. 1089). Quamquam quale argumentum *Φρυγίαις* tribuendum esset, minus pateret[1]).

par. 2.

Alia nomina, quae imprimis propter testimoniorum inopiam nonnumquam reiciuntur, ego quidem dubitarim an tenenda sint. Ac maxime ii tituli huc spectant, in quibus plures poetae concurrunt. Grammatici enim putantur poetarum nomina inter se confudisse, id quod aliquotiens factum esse infra (par. 12) apparebit. Sic quod Euripidis *Ἀλκμήνη* exstitit, cognominis Aeschylea deletur[2]), quae semel laudatur (Aesch. fr. 12 Hes. 1 p. 486). At nullo iure. Quod enim in catalogo ea non legitur, nil inde consequitur, siquidem ibi etiam aliae fabulae minime dubiae desiderantur. Non veri similius eidem errori Sophocleae *Ἰξίων* (Soph. fr. 274 schol. Apollon. Rhod. 4,14) et *Σίσυφος* (fr. 500 Hes. 1 p. 1582) tribuuntur, quia utrumque nomen etiam ceteri principes inscripserunt[3]). *Φρύγας* unum Aeschylum, non item Sophoclem scripsisse con-

---

1) Cf. Welck. Mus. Rhen. vol. V. p. 466 sqq., qui *Ἰλίου πέρσιν* intellegit.

2) Cf. Welck. Trag. p. 52 Alii Aeschyli nomen ita servant, ut *ἐν Ἀμυμώνῃ* pro *ἐν Ἀλκμήνῃ* legant; cf. Nauck. l. l. p. 5.

3) De Euripidea autem huius nominis monendum est, quod de Wilamowitz-Moellendorff l. l. p. 165 sq., vetere testimonio (v. Nauck. l. l. p. 599) nisus comprobavit, ea, quae sub Euripidis nomine feruntur, re vera in cognomini Critiae tyranni fabula scripta fuisse.

tendunt, qui duobus locis errorem subesse suspicantur[1]) (Soph. fr. 652 Stob. flor. 8,5; schol. Aesch. Prom. v. 436 *σιωπῶσι γὰρ παρὰ ποιηταῖς τὰ πρόσωπα ἢ δι' αὐθάδειαν ὡς Ἀχιλλεὺς ἐν τοῖς Φρυξὶ Σοφοκλέους, ἢ διὰ συμφορὰν ὡς ἡ Νιόβη παρ' Αἰσχύλῳ, ἢ διὰ περίσκεψιν ὡς ὁ Ζεὺς παρὰ τῷ ποιητῇ πρὸς τὴν τῆς Θέτιδος ἀπαίτησιν*). Sed praeterquam quod per se probabile est, ne Sophoclem quidem egregium illud argumentum de Hectore redimendo praetermisisse[2]), versuum, qui in priore loco servantur, non ea est natura, ut potius Aeschylo tribuendi videantur[3]), atque alterius testimonii auctor apertis verbis inter Aeschylum et Sophoclem distinguit, cum illius *Νιόβην*, huius *Φρύγας* memorat. Sane mirum hoc videri potest, quod non ab alterutro poeta utrumque *σιωπώντων προσώπων* exemplum repetitur, siquidem utraque et Aeschylea et Sophoclea fabula exstitit. Tamen certum fortasse scholiastae consilium subest[4]). Itaque nisi forte locos illos ancipitibus correctionibus prodere mavis, hac fabula Sophoclem non fraudabis. Inter Romanos autem qui ‚Hectoris lutra' scripsit, Ennius nil praebet ad rem diiudicandam, quippe quem veri simile sit totam Aeschyleam trilogiam, cuius ultima *Φρύγες* fuit, in unum drama coartasse[5]). — Ceterum occasione data hoc loco monere aliquid liceat, quod viri docti de Aeschylea Phrygibus scribentes parum videntur respexisse. Lego enim affirmantes[6]), in ea Achillem Patrocli mortem dolentem aliquamdiu tacuisse. Ac scimus eum caput veste obvolutum sedisse et silentio indulsisse[7]). Sed

1) Dindorf. l. l. p. 189; Nauck. l. l. p. 38; servant fabulam Godofr. Hermannus de Aeschyli Myrmidonibus Nereidibus Phrygibus in opusc. vol. V. p. 151; Welck. Trag. p. 135 sq.; Schoell. l. l. p. 299 sqq.

2) Monet idem iam Schoell. l. l. De argumentis quae Sophocles videatur ex Homero accepisse cf. Welck. Trag. p. 86 sqq.

3) Cf. Hermann. l. l. p. 156 sq.

4) Quode Hermann. l. l. suspicatur eum »quas tres silentii causas commemorat, tribus trium poetarum exemplis comprobare voluisse«.

5) Cf. O. Ribbeck. Die römische Tragoedie im Zeitalter der Republik p. 126; Luc. Mueller. Ennii fragmenta p. 221 sq.

6) God. Hermann. l. l.; Robert. Bild und Lied p. 130 in Philolog. Untersuchungen edd. de Wilamowitz-Moellendorff et Kiessling vol. IV.

7) Ar. Ran. v. 911 sqq. *πρώτιστα μὲν γὰρ ἕνα τιν' ἂν καθῖσεν ἐγκαλύψας | Ἀχιλλέα τιν' ἢ Νιόβην, τὸ πρόσωπον οὐχὶ δεικνύς, | πρόσχημα τῆς*

dolorem huius silentii causam fuisse vellem usquam traditum esset. Quid enim veteres docent? Dicitur Achilles tacuisse *οὐκ ἀποκρινόμενος*. Non respondet, nempe rogatus, a Priamo nimirum, qui eum succinente choro precibus adibat[1]). Nec magis in Sophoclea cognomini *διὰ συμφοράν* Achillem, sed *δι' αὐθάδειαν* obmutuisse modo audivimus. Sin Sophoclea haec scholiastae tribuetur qui Aeschyli et Sophoclis nomina inter se confuderit, optime quod volo concedes in Aeschyli Phrygibus *δι' αὐθαδειανυ*, non *διὰ συμφοράν* conticuisse Achillem. Atque quid omnino in ea vellet lugens Achilles, qui luctum satis iam in antecedentibus trilogiae fabulis expleverat?[2]) Sed quasi obstupefactus subito inopinatoque Priami adventu atque odio in Troianos etiamtunc acerrimo efferatus vocem compressit, similiter atque Homericus ille Iuppiter iuxta Thetidem obmutuit, quem idem scholiasta memorat. Quod ita se habere, ni fallor etiam figuratae artis monumenta, quae hanc scenam expresserunt, persuadent. Neque enim in iis, quae quidem severioris aetatis sunt, caput veste velatus Achilles cernitur[3]). Scilicet deerat omnino is animi motus, quem ceteroquin, velut in Pompeiana illa de Aulidensi Iphigenia pictura, velato vultu expressum videmus. — Aeschyleam *Ἀταλάντην* quod unus catalogus memorat, satis idonea causa est cur teneamus. Nam in eo, etsi nonnulla nomina supervacanea sunt, de quibus infra (par. 13) videbimus, tamen nullum adhuc novimus omni ex parte fictum esse[4]). Non magis ego Euripideam *Κάδμον* respuerim, quae semel memoratur (Eur. fr. 451 Prob. in Verg. ecl. 6,31 p. 11,25).

τραγῳδίας, γρύζοντας οὐδὲ τουτί, ad quae schol. *ὁ Ἀχιλλεὺς δὲ καθήμενός ἐστι καὶ οὐκ ἀποκρινόμενος παρ' Αἰσχύλῳ ἐν δράματι ἐπιγραφομένῳ Φρυξὶν ἢ Ἕκτορος λύτροις. ἄλλως· εἰκὸς τὸν ἐν τοῖς Φρυξὶν Ἀχιλλέα ἢ Ἕκτορος λύτροις. ἢ τὸν ἐν Μυρμιδόσιν ὃς μέχρι τριῶν ἡμερῶν οὐδὲν φθέγγεται.* Cf. vit. Aeschyl. *ἔν τε τοῖς Ἕκτορος λύτροις Ἀχιλλεὺς ὁμοίως ἐγκεκαλυμμένος οὐ φθέγγεται, πλὴν ἐν ἀρχαῖς ὀλίγα πρὸς Ἑρμῆν ἀμοιβαῖα.*

1) Quod indicat Aristoph. apud Athen. 1 p. 21 f. (v. Nauck. p. 65) *καὶ τοὺς Φρύγας οἶδα θεωρῶν, | ὅτε τῷ Πριάμῳ συλλυσόμενοι τὸν παῖδ' ἦλθον τεθνεῶτα, | πολλὰ τοιαυτὶ καὶ τοιαυτὶ καὶ δεῦρο σχηματίσαντας.*

2) Maxime in Myrmidonibus, v. pag. sup. not. 7.

3) Cf. Robert. l. l. p. 142.

4) Nam *Φρύγιοι*, dummodo delendum sit, librarii errori debetur.

Etsi enim ea non in deperdito Albani monumenti membro locum habuit[1]), siquidem ceterarum fabularum nomina, quae a littera *K* incipiunt, in altera eius parte videntur conscripta esse, tamen inde nil consequitur[2]), quia etiam *Ἀλκμήνη* in hac tabula desideratur. — Sophoclea *Εὔμηλος*, quae semel citatur (Soph. fr. 204 Harpocr. v. *καθελών*; in fr. 203 Hes. 1 p. 159 codex exhibet *ἐν ἀμήλῳ*), vulgo reicitur, quia Eumeli persona parum idonea sit, quae tragoedia argumentum praebere potuerit[3]). Procedit autem Eumelus admodum puer in Alcestide Euripidea (v. 393 sqq.) brevi *θρήνῳ ἀπὸ σκηνῆς* matris obitum lugens. Itaque si modo Sophocles idem argumentum atque Euripides tractavit[4]), nescio an Eumeli nomen ita servari possit ut, quod aliquotiens veteres grammaticos peccasse videbimus, personae in fabula prodeuntis nomen pro dramatis indice dictum sit. — Pari inter se incerta condicione Sophoclei tituli *Ἰοκλῆς*, *Ἰόλαος* et *Ἰφικλῆς* congregantur, qui etiam virorum doctorum coniecturis inter se permiscentur. Atque si ipsa nomina spectas, *Ἰοκλῆς* (Soph. fr. 277 Poll. 10, 39)[5]) nil est nisi pro *Οἰκλῆς* dictum eadem literarum permutatione, qua, ut notissimum exemplum afferam, Eur. Suppl. v. 925 pro *Οἰκλῆς* libri *Ἰοκλῆς* exhibent. Atqui proprium quod ei tribuatur argumentum frustra quaeritur; Oecleus autem avus fuit Alcmaeonis, pater Amphiarai, quorum nominibus inscriptae Sophocleae fabulae exstiterunt. Possit igitur per se quidem Oeclei personae nomen cum iis confusum esse, maxime cum Alcmaeone; Amphiaraus enim satyrica fuit. *Ἰόλαος* (fr.

1) Quod putabat Welck. Trag. p. 810.

2) Quamquam non exstitisse *Κάδμον* concludit inde Wilamow. l. l. p. 160.

3) Cf. Welck. Trag. p. 66.

4) Quod censet Welck. Trag. p. 344 sqq., quamquam in argum. Eur. Alcest. traditur *παρ' οὐδετέρῳ κεῖται ἡ μυθοποιία*. Fabulae nomen quod alii *Ἄδμητον* inscribunt, Welck. *Ἄλκηστιν* dicit. Atque *Ἄδμητος* si fuit latet fortasse etiam in illo *ἐν ἀμήλῳ*.

5) Nam in altero loco, fr. 278 schol. Ar. Eq. v. 498, quod cod. Venetus exhibet *ἐξ Ἰοκλέους*, reiciendum est prae *ἐξ Ἰολάου*, quod imprimis Ravennas praebet inter eos codices, quorum in hac Aristophanea fabula maior est quam Veneti auctoritas; de qua re cf. A. de Bamberg de Ravennate et Veneto Aristophanis codicibus Bonnae 1865.

278 schol. Ar. Eq. v. 498) potest certe ea fabula inscripta fuisse, quae, si umquam fuit, in eodem argumento versabatur atque Euripidea superstes *Ἡρακλεῖδαι*; nam in ea actionis aliquantum penes Iolaum est[1]). Tamen non minus possit *Ἰόλαος* eodem spectare, quo *Ἰφικλῆς* (quod nomen subesse videtur fr. 292 schol. Soph. Oedip. Col. v. 793, ubi fertur *ἐν Ἰφικλείᾳ*), quocum etiam personarum affinitate coniunctum est; Iolaus enim Iphiclis filius. Quamquam de huius nominis testimonio quid censendum sit nondum liquet. Nam quod traditur *ἐν Ἰφικλείᾳ*, alii *ἐν Ἰφικλεῖ ά* legunt neque illum quem dixi Iphiclem intellegunt ut tragoediae minus aptum, sed Iphiclum, Phylaci et Clymenae filium, patrem Podarcis et Protesilai, de quo narratur Hom. Od. l. XI. v. 286 sqq.[2]); alii etiam *ἐν Ἰφιγενείᾳ* legendum censent[3]). At num omnino medela eget illud *ἐν Ἰφικλείᾳ*? Statim enim tibi didascalica nomina velut *Ὀρέστεια*, *Οἰδιπόδεια* in mentem occurrent. Sed ne videamur coniecturis delectari, mittamus haec, de quibus aliunde fortasse clarior nobis cognitio veniet.

par. 3.

Pauca hoc loco de iis titulis addere liceat, quorum non tam de fide dubitandum est, quam nominum scripturam veteres variarunt. Atque in nonnullis cum nil nisi una alterave littera mutata sit, minutiores sunt scribendi discrepantiae, velut quod *Ἀλωάδαι* et *Ἀλευάδαι* pro *Ἀλεάδαι*[4]), *Ἀλείτης* pro *Ἀλήτης* dictum est; cuiusmodi vitia ei dicendi usui tribuendi erunt, quo posteriore aetate Graecae linguae formae degeneraverunt. Ad ipsam fabulam describendam id tantum pertinet, quod Aeschylea *δικτυουλκοί*[5]) in catalogo mutata etymologia *δικτυουργοί* audit.

---

1) Cf. Welck. Trag. p. 373; prorsus eam reiciunt Dindorf l. l. ad Soph. fr. 415b, Nauck. ad fr. 278.

2) Boeckh. Graec. trag. princip. p. 129; Welck. Trag. p. 430.

3) V. Nauck. l. l. ad fr. 292, improbabilius quia tamen, ut Welck. l. l. monet, non solet a gramaticis nobiliori nomini obscurius substitui.

4) Cf. Fr. Vater. Die Aleuaden des Sophocles Berol. 1835; *Ἀλευάδας* veram scripturam esse statuit Welck. Trag. 407 sq. not. 2.

5) Hanc esse rectam tituli formam eoque dici piscatores Seriphios, in quorum retia Danae cum Perseo exposita inciderat, comprobavit God.

Graviora aliquanto ea nomina sunt, quorum terminationem gramatici varie scripserunt. Ac ne in eo commoremur, quod Ἀλέξανδρος Sophoclea et Euripidea fabula etiam Ἀλεξάνδρα laudantur (cf. infra par. 11) aut quod Τημενίδες pro Τημενίδαι (ab uno Stobaeo) dicitur, sunt illa chori nomina, quae apud alios in masculinam, apud alios in femininam formam cadunt. Arctissime igitur hoc cum ea quaestione cohaeret, quam non ubique diiudicare licet, utrum viri an mulieres chorum effecerint. Remotum tamen ab ea est Sophoclearum αἰχμαλωτίδων nomen, quae aliquoties etiam αἰχμάλωτοι vocatur; nam ne αἰχμάλωτοι quidem, quantum video, alia usquam nisi feminina notione usurpatur. Eorum autem titulorum, qui inter masculinum et femininum chorum diiudicandum praebent, de nonnullis liquida iam res est; quorum satis erit meliorem formam ascripsisse: Aeschyli Αἰτναῖαι[1]), Ἐλευσίνιοι, Περραιβίδες, Σαλαμίνιαι, Sophoclis Λήμνιαι, Ἀτρεὺς ἢ Μυκηναῖαι[2]). De aliis vero minus evidenter patet, quid censendum sit. Atque Aeschylea Λήμνιοι in uno catalogo memoratur. Cuius quod argumentum fuerit quaerenti nemini non statim Lemnii illius Philoctetae in mentem venit, quem Sophocles nobis depinxit. Atqui etiam Φιλοκτήτου Aeschyleae et in catalogo et alioquin mentio fit, atque hunc titulum vix noles ei fabulae tribuere, qua Aeschylum non minus quam ceteros principes Lemnii Philoctetae res tractasse et cuius chorum item atque in Euripidea cognomini Lemnios fuisse nobilissimo loco constat[3]). Itaque Λήμνιοι debet aut eiusdem fabulae cuius

---

Hermannus in Berichte der Königl. Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften I. p. 119.

1) Quod etiam traditur Αἶτναι (Aesch fr. 6 Steph. Byz. p. 496,9 v. Παλική; fr. 7 schol. Il. XVII. v. 183), suspicor eadem ratione ex vera nominis forma decurtatum esse qua Sophoclea Μυκῆναι pro Μυκηναῖαι dicitur. Etiam Αἴτνα reperitur (fr. 11 Jo. Lyd. de mens. p. 274 ed. Has.; fr. 5 Macrob. Sat. 5, 19, 17), quod urbis nomen est; cf. Welck. Prom. p. 566. not. 878.

2) Quod Welck. Trag. p. 357 dicit semel tradi Μυκηναίους, nusquam in editionibus invenio.

3) Dio Chrysost. or. 52 par 4 sqq. cum tres trium principum Philoctetas inter se comparat, v. Nauck. l. l. p. 482. Uno verbo satis erit Welckeri opinionem commemorasse, qui Mus. Rhen. vol. 5 p. 466 sqq. trilogiae efficiendae gratia contenderat Λημνίους eam esse fabulam, quam

Φιλοκτήτης, aut prorsus alius titulus fuisse. Atque in unam fabulam duo haec nomina spectare ita fortasse putarit quis, ut ea a veteribus male distracta, in unum duplicem titulum iungenda sint. Verum ne ita fiat, vel ipse catalogus prohibet, in quo suo utrumque loco scriptum est; nam ceteri duplices tituli, quos aliunde novimus, etiam in eo pleni servati sunt. Accedit, quod cunctos eos, qui duplices dicuntur, aliquantum suspectos esse infra (par. 10) apparebit. At alterutro fortasse tota didascalia significata fuerit, siquidem nonnulla nominum paria, quae, tanquam diversarum fabularum fuerint, in catalago seiuncta sunt, ita videntur eodem spectare, ut altero neglecto altero tota trilogia vel tetralogia dicatur. At omnino totam didascaliam Aeschylum in Philoctetae rebus impendisse nequaquam veri simile est [1]). Iam igitur unum id relinquitur, ut aliud argumentum anquiratur. Nec longe abest nobilis illa fabula de Argonautis, qui nimiae incuriae indulgentes aliquamdiu in Lemno commorabantur. Atque cum in ea imprimis mulieres Lemniae emineant, facili medela adhibita in catalogo *Λήμνιαι* pro *Λήμνιοι* legendum esse quod plerique iam censent, mihi quoque probatur. Tamen argumentum Aeschyleae huius aliquantum debet a cognomini Sophoclea diversum fuisse; eius enim summa iam in Aeschyleam *Ὑψιπύλην* cadit, si recte intellego, quae tradit schol. Apollon. Rhod. 1,769 (v. Nauck. l. l. p. 62 et 171) *ὅτι δὲ ἐμίγησαν οἱ Ἀργοναῦται ταῖς Λημνίαις Ἡρόδωρος ἱστορεῖ ἐν τοῖς Ἀργοναυτικοῖς. Αἰσχύλος δ' ἐν Ὑψιπύλῃ ἐν ὅπλοις φησὶν αὐτὰς ἐπελθούσας χειμαζομένοις ἀπείργειν, μέχρι λαβεῖν ὅρκον παρ' αὐτῶν ἀποβάντας μιγήσεσθαι αὐταῖς — Σοφοκλῆς δὲ ἐν ταῖς Λημνίαις καὶ μάχην ἰσχυρὰν αὐτοὺς συνάψαι φησίν.* Sophocleam et Euripideam cognomines fabulas eas, quarum illa aliquotiens, haec plerumque *Σκύριαι* vocatur, re vera *Σκυρίους* inscriptas fuisse pervulgata iam opinio videtur [2]). Ac profecto Euripideam non *Σκυρίας* fuisse, vel argumentum videtur persuadere, siquidem sub hoc chori nomine intellegendae essent

---

Aeschylus de Lemnio Philocteta scripsit, *Φιλοκτήτην* quae memoratur fuisse *τὸν ἐν Τροίᾳ*; huius enim nominis Sophoclea exstitit, Aeschyleae nullum adhuc vestigium reperitur.

1) Immo cf. Nitzsch. Sagenpoesie der Griechen p. 644 sqq.

2) Cf. Wilamow. l. l. p. 138; Robert l. l. p. 34, not. 40.

Lycomedis Syri regis filiae, inter quas Achilles a Thetide matre filii vitae prospiciente absconditus erat, at ab Ulixe per notum illud artificium recognoscebatur. Quaenam enim ratio inter chorum et Achillem fuisset, quando quidem etiam singularem eius personam aliquantum in fabula egisse per se patet? Scilicet deberet Achilles tum in choro, tum inter singulares personas prodisse.

Duos adhuc Aeschyleos titulos retinuimus, qui mira ratione in catalogo *Ἀργὼ ἢ κωπαστής*[1]) et *Σεμέλη ἢ ὑδροφόρος* scripti sunt. Mirum enim quod singulares formae *κωπαστής* et *ὑδροφόρος* usurpatae sunt, ubi ceteroquin plurale chori nomen legitur. Quod fortasse dubitarit quis num casui tribuendum sit. Possit enim unus *κορυφαῖος* pro choro dictus esse, nisi potius in priore titulo *κωπαστής* Argus nomini additum est eo consilio, ut significantius indicaretur fabulosae illius ac mirabilis navis proprietas, utpote quae animalis fere atque personae locum obtineat. Tamen quoniam ceteri duplices tituli chori nomen praebent, recte videtur *Ἀργὼ ἢ κωπασταί* et *Σεμέλη ἢ ὑδροφόροι* scribi, cum praesertim unus catalogus illam scripturam exhibeat[2]).

Iam vero ne in levioribus his tempus teratur, id potius videamus, quomodo totum titulorum habitum nobis veterum memoria servarit.

II.

Atque ampliores haud ita pauci exstant, qui cum plerumque plena forma ferantur, aliquotiens videntur a grammaticis decurtati esse. Causam nimirum eam dices, in citandis fabulis

---

1) Dubito enim num recte Welck. Prom. p. 312 *κωπαστής*, quod traditur, in *κωπευστής* (vel potius *κωπευσταί*) mutarit. Neutri scripturae aliunde argumenta subveniunt, quia nullo alio loco haec vox reperitur. Tamen cur non etiam *κωπάζειν* exstitisse possit ego non video, ex substantiva radice (*κώπη*) aeque in *άζω* derivatum atque alia multa denominativa verba, velut *κομπάζειν, κωμάζειν*. Num vere correxerit Welckerus dubitat etiam Nitzsch. l. l. p. 659 sq. Prorsus autem aliter hic titulus intellegendus erit, si non merus typographi error est, quod Nauck. l. l. p. 7 et p. 736 pro *ἢ κωπαστής* scribit articulum *ἡ κωπ.*

2) Item Sophoclea quae *ψυχαγωγοί* inscripta fuit singulari forma *ψυχαγωγός* vocatur Phrynich. (Bekk.) p. 73, 13 (v. Nauck. p. 68).

grammaticos commoditatem quandam facilitatemque appetisse. Varia autem ratione egerunt.

par. 4.

Saepius enim eorum titulorum, qui ex appellativo nomine et ex genitivo proprii nominis inde recti constant, i. e. qui ipsam rem indicant, quae in fabula agitur [1]), alterutra tantum pars memorata est. Ac propium quidem nomen attulisse satis habuerunt, qui Aeschyleam *Φρύγας ἢ Ἕκτορος λύτρα* uno *Ἕκτορος* nomine (Aesch. fr. 259 Stob. flor. 125,7) et Sophocleam *Ἑλένης ἀπαίτησιν* simpliciter *Ἑλένην* (Soph. fr. inc. 660 schol. Ar. Eq. v. 83) vocarunt. In aliis appellativum nomen toti indici substitutum est. Sic Aeschylea illa etiam *Φρύγες ἢ λύτρα* nuncupatur (Aesch. fr. 256 Poll. 7, 131). Item Sophoclea *Ἀχαιῶν σύλλογος* laudatur *σύλλογος* (Soph. fr. 149 Hes. 1 p. 1155), *σύνδειπνον* pro *Ἀχαιῶν σύνδειπνον* (fr. 143 schol. Soph. Ai. v. 190; fr. 147 Hes. 1 p. 117; fr. 148 schol. Soph. Oed. Col. v. 10). Sed de his nominibus quoniam dubitationes adhuc restant, uberius paullo agendum videtur. Prostant autem tituli *Ἀχαιῶν σύλλογος*, *σύλλογος*, *σύνδειπνοι*, *Ἀχαιῶν σύνδειπνον*, *σύνδειπνον*. Atque *Ἀχαιῶν συλλόγῳ* sive *συλλόγῳ* viri docti inter se consentiunt [2]) argumentum tribuenda esse ea, quae de Achivis narrantur ante belli Troiani ipsum initium Tenedi paulisper consistentibus [3]). Atqui etiam comissatio fertur ibi instituta esse, a qua et Philoctetae miseriae et fatalis illa inter Agamemnonem Achillemque discordia primam originem traxerunt. Qua de causa non miraberis, quod etiam cetera nomina ad Achivorum illum conventum referuntur atque satyrica una fabula statuitur duplici vel triplici titulo inscripta. At caveas, ne, cum ita censeas, veritatis minus quam opportunitatis videaris rationem habere. Namque in diversas fabulas vel ipsae nominum significationes tendunt. Nonne enim toto caelo notiones *σύλλογος* et *σύνδειπνον* inter se distant? Hoc, quod Latine est ‚convivium‘, res hilaris est et vitae privatae ideoque satyricae fabulae convenit, illud ‚concilium‘ res gravis et publica eamque non poterimus nisi de severiore tragoediae argumento intellegere.

1) Ceterum cf. de eiusmodi indicibus quae infra (par. 10) proferentur.
2) Excepto uno Schoell. l. l. p. 255 sqq.
3) V. Nauck. l. l. p. 127 sq.

Sed veterum testimonia audiamus. Gravissimus locus exstat apud Athen. 8 p. 365b σύνδειπνον εἴρηκεν ἐπὶ συμποσίου Λυσίας — διόπερ τινὲς καὶ τὸ Σοφοκλέους δρᾶμα κατὰ τὸ οὐδέτερον ἐπιγράφειν ἀξιοῦσι σύνδειπνον, unde aperte discimus Sophoclei huius tituli, quem quidem Athenaeus norat, genuinam formam non neutralem σύνδειπνον, sed pluralem masculinam συνδείπνους fuisse, quam idem Athenaeus aliquotiens perhibet. Quae autem ab uno eo semel (1 p. 17d, fr. 141) laudatur Ἀχαιῶν σύνδειπνον, vix negabis eandem esse atque quae vulgo simpliciter σύνδειπνον dicitur; certe propter notionum diversitatem prorsus alia fuit atque Ἀχαιῶν σύλλογος, cuius apud hunc scriptorem mentio non fit. Iam vero Hesychius semel (2 p. 544, fr. 125) συνδείπνους memorat, semel (1 p. 117, fr. 147) σύνδειπνον [1]), Ἀχαιῶν σύνδειπνον nusquam, ter Ἀχαιῶν σύλλογον et semel eandem σύλλογον. Diversas igitur inter se duas fabulas etiam Hesychius distinguit, unam συνδείπνους inscriptam, quam alii indice ad ipsum fabulae argumentum conformato σύνδειπνον, alii etiam, quo certior esset inscriptio, addito Achivorum nomine Ἀχαιῶν σύνδειπνον vocabant, alteram Ἀχαιῶν σύλλογον vel σύλλογον. En autem exoptatissimum nobis auxilium ex ea ratione venit, quam Hesychius in ceteris duplicibus titulis sequitur. Etenim lego apud eum aut plenos eos servatos, aut, ubi altera tantum duplicis tituli pars affertur, eandem tamen ubique esse adhibitam. Itaque in his fabulis, Hesychius quod modo hoc modo illo nomine utitur, nec ipse nec auctor eius unam eandemque esse putabat. Simile aliquid fortasse etiam Athenaeus doceret, nisi omnes, qui quidem tragicorum principum sunt, duplices tituli semel tantum ac ne pleni quidem ab eo memorati essent. Nec magis ex ceterorum scriptorum locis quidquam extricare licet. Omnino autem quam periculosum sit novos etiam duplices titulos efficere, infra (par. 10) cognoscemus. Atque praeclare nostrae ratiocinationi convenit, quod diversas fuisse fabulas iam viri in his rebus peritissimi alia via inita comprobarunt [2]). — Eadem ratione vulgo

1) Nisi potius, quod cod. praebet, συνδειπν^{ω} genitivus pluralis casus συνδείπνων est.

2) Welck. Trag. p. 110 sqq., Schoell. l. l. p. 255 sqq., etsi de argumentis aliquantum inter se discrepantes.

putatur Aeschylea Διονύσου τροφοί uno τροφῶν nomine vocata esse (Aesch. fr. 50 Phot. lex p. 47, 11; fr. 51, 52 Hes. 1 p. 996, id. 2 p. 898). Welckerus autem (Prom. p. 343, Nachtr. p. 24) Διονύσου τροφούς prorsus reiecerat et τροφούς dici putarat coniunctos Niobes filiorum educatores filiarumque nutrices. Inter quas contrarias sententias ita existimo pacem conciliandam esse, ut servato argumento ei, quod Διονύσου τροφοί indicant, titulus assignetur τροφοί. Nam quod Welckerus merum hoc τροφῶν nomen incertius esse dicit, quam sub quo Dionysi nutrices intellegi potuerint, haud magni est; immo videntur poetae aliquid habuisse, cur in nominandis fabulis brevitatis studerent (cf. inf. par. 14). Nec veri similius idem τροφούς ad Niobeas res refert. Tamen alter ille index Διονύσου τροφοί vix teneri potest. Neque enim nititur nisi uno testimonio eius generis, quorum haud ita certa fides est, argum. Eur. Med., ubi traditur Αἰσχύλος δ' ἐν ταῖς Διονύσου τροφοῖς ἱστορεῖ ὅτι καὶ τὰς Διονύσου τροφοὺς μετὰ τῶν ἀνδρῶν αὐτῶν ἀνεψήσασα ἐνεοποίησε (scil. Medea). Quae verba modo accurate perlegeris aliumque cum iis locum compararis, qui in eadem re narranda certam fabulam non nominat, schol. Ar. Eq. v. 1321 ὥσπερ ἡ Μήδεια λέγεται, ὡς μὲν Αἰσχύλος ἱστορεῖ, τὰς τροφοὺς τοῦ Διονύσου ἀφεψήσασα ἀνανεάσαι ποιῆσαι μετὰ τῶν ἀνδρῶν αὐτῶν, iam haud difficulter spero concedes, in argumento illo si non omnino fabulae nomen fictum, at certe Διονύσου nomen interpolatum esse a quodam eorum quae sequuntur verborum similitudine decepto[1]). Sed si minus tibi haec ratio fidem facit, ad aliam auctoritatem satis gravem provoco. Catalogum enim, qui τροφούς exhibet, caveas ne hac in re neglegas, in quo etsi non omnia recte se habent, tamen pleniores omnes indices, quos aliunde novimus, servati sint, velut non κρίσις pro ὅπλων κρίσις scriptum sit. Certe igitur qui catalogum conscripsit, huius fabulae non alium titulum nisi τροφούς habuit.

Ex his iam quid consequitur? Quam Aeschylus τροφούς nominarat, grammaticus Διονύσου τροφούς vocavit, Sophocleam συνδείπνους posteriores Ἀχαιῶν σύνδειπνον, σύλλογον posteriores

---

1) Quod iam Welck. Nachtr. p. 66 indicavit, falsus tamen in eo, quod una cum titulo ipsam fabulam delevit.

Ἀχαιῶν σύλλογον dixerunt. Itaque ampliores illos indices non dicurtarunt grammatici, sed ipsi demum effinxerunt ea nimirum mente, ut certioribus titulis aptius fabularum argumenta indicarentur.

par. 5.

Insignius autem aliquanto inter se veteres discrepant, cum eos titulos, quorum nomen proprium adiectivo vel alio agnomine auctum fertur, tum servato eo, tum omisso tradunt. In eiusmodi igitur additamentis quid poetis, quid posterioribus debeatur videndum nobis erit. Reperiuntur autem omnino in iis fabulis, quae si non eadem persona, at eodem nomine proprio inscriptae sunt. Itaque ea eorum vis est, ut cognomines eiusdem poetae fabulae inter se distinguantur [1]).

Tamen etiam earum fabularum, inter quas discernendi nulla causa fuit, siquidem non cognomines alterae exstiterunt, duae ampliorem titulum ferunt, Euripidea superstes tragoedia *Ἡρακλῆς μαινόμενος* et Sophoclea satyrica *Ἡρακλῆς ἐπὶ Ταινάρῳ*. De quibus quid censendum sit, cum vel ipsa ratio indicat, quoniam distinguendi illa causa deerat, tum ex veterum testimoniis satis luculenter apparet. Atque *μαινομένου* agnomen iam video ad nihilum reductum esse [2]). In Sophocleo titulo, quem haud cunctanter editiones *Ἡρακλέα ἐπὶ Ταινάρῳ* scribunt et quo dici videtur »Hercules in Taenaro descendens ad Cerberum in lucem educendum«, Herculis nomen locum habuisse praeter eos locos, ubi *Ἡρακλῆς* laudatur (Soph. fr. 206 Poll. 10, 110, id. 7; 110; fr 207 Steph. Byz. p. 699, 12; fr. 208 Hes. 2 p. 372), ex iis apparet, qui *Ἡρακλείσκον* exhibent (fr. 209 Orion. flor.

1) Neque enim mihi quidem exemplum occurrit, unde etiam diversorum poetarum cognomina dramata hac ratione distincta esse appareat. Ceterum de nonnullis horum titulorum iam Guil. Dindorf. in Soph. Ai. ed. III (Oxon. 1860) pag. 3 not. b et de Wilamowitz-Moellendorff l. l. p. 59 sq. obiter aliqua monuerunt. Quae si cui copiosius ego dilatasse hoc loco ac rationibus fulsisse videar, affirmo adeundi illos tum demum facultatem mihi fuisse, cum mea de his rebus iam scripsissem, ac nonnumquam etiam aliter me atque eos sentire apparebit. Animum autem mihi auxit, quod vidi me doctissimorum virorum auctoritate adiuvari.

2) A. Wilamow l. l. p. 60, niso certissimo argumento eo, quod ubique apud veteres haec fabula uno Herculis nomine vocatur.

5,9 p. 47,24; fr. 210 id. 6,6 p. 49,13) deminutivam formam, fictam, ut mihi videtur, eo consilio, ut levior satyricae huius fabulae natura indicaretur et ab alia distingueretur, cuius argumentum, velut superstitis Trachiniarum, in eiusdem Herculis gravioribus rebus versabatur [1]). Sed de altera tituli parte quid videbitur? Semel *ἐπὶ Ταινάρῳ σατυρικῷ* laudatur (fr. 213 Hes. 1 p. 515), ubi *ἐπὶ* et *Ταινάρῳ* coniungenda inter se titulum efficiunt; subest enim nominativus casus *ἐπὶ Ταινάρῳ σατυρικόν*. Quae tituli forma etiam apertius agnoscitur, ubi dicitur *ἐν ἐπὶ Ταινάρῳ σατύροις* (fr. 214 Phot. lex. p. 359,25) [2]). Bis legitur *Σοφοκλῆς ἐπὶ Ταιναρίοις* (fr. 211 Athen. 9 p. 375 d; fr. 212 Hes. 1 p. 217), ubi item *ἐπὶ* et *Ταιναρίοις* inter se iungenda sunt, ita ut recte videatur Guil. Dindorfius (ad Soph. fr. 220) iudicasse »grammaticos videri hanc fabulam *Ἐπιταιναρίους* dixisse, satyros intellegentes«. At hoc *ἐπὶ Ταιναρίοις* fortasse putarit quis intellegendum esse »bei den Bewohnern von Taenaron«, qui essent inferi, ad quos Hercules descendit, atque dictum esse eadem ratione, qua illud *ἐπὶ Ταινάρῳ* (*σατυρικόν*). At deberet, si ita esset, non *Σοφοκλῆς ἐπὶ Ταιναρίοις*, sed *Σοφοκλέους ἐ. Τ.* dictum esse. Neque enim ego quidem adhuc locum inveni, in quo et poeta et fabula nominativo casu memorati essent, sed aut fabulae nominativus est, poetae genitivus, aut inversa ratio. Iam igitur plenus index *Ἡρακλῆς ἐπὶ Ταινάρῳ* ubi tandem reperitur? Qui si umquam exstitisset, dubito an vestigium eius alicubi quamvis tenue agnoscere liceret. Atque omnino ne id quidem satis exploratum est, nomina illa unius eiusdemque fabulae fuisse [3]). Ut vero fuerint — ac possunt certe fuisse —, nemo duplicem titulum *Ἡρακλῆς ἢ οἱ ἐπὶ Ταινάρῳ* cogitabit, qui per se ut duplex titulus et nimia longitudine sua refutatur. Sed genuina inscriptio sine dubio *Ἡρακλῆς* fuit, quae brevitate

---

1) Alitor Wilamow l. l., qui *Ἡρακλείσκον* propriam dicit fabulam fuisse de puero Hercule scriptam, sicut Theocriti carm. XXIV *Ἡράκλισκος* inscriptum fertur.

2) Comparat cum hac forma Wilam. l. l. comicorum Platonis *ἀφ' ἱερῶν*, Alexidis *εἰς τὸ φρέαρ*.

3) Quod monet etiam Wilam. l. l., qui tres satyricas fuisse suspicatur, *Ἡρακλέα*, *Ἡρακλείσκον*, *ἐπὶ Ταινάρῳ*.

ıa commentatur [1]), posteriores ei ἐπὶ Ταινάρῳ illud, modo re ɜra ad eandem fabulam referendum sit, non solum certioris ominationis gratia addiderunt, sed etiam unum ei substituerunt. ıtque ita si recte statuitur, nescio an additamentum illud ·etitum esse possit ex vetere aliqua annotatione, quales de actionis ɔco ὑποθέσεις fabulis praescriptae, maxime eae, quae sub \ristophanis grammatici nomine feruntur, exhibent, cum dicitur ἡ σκηνὴ ὑπόκειται ἐν-, ἐπὶ-. Ad certiora autem fortasse nobis ıscendere liceret, si vetus superesset Sophoclearum fabularum tabula.

par. 6.

Iam vero inter ipsas cognomines fabulas simplicissima earum ratio est, quae in eadem didascalia coniunctim doctae sunt. Quarum unum exstat egregium exemplum, Aeschyli Promethea trilogia. Atque eius singulos indices qui feruntur, Προμηθεὺς δεσμώτης, Π. λυόμενος, Π. πυρφόρος [2]) per se patet id sibi velle, ut Promethei res quales in singulis fabulis essent planius circumscribantur. Qua de causa etiam ubique fere singulae plenis nominibus vocantur [3]). Itane vero ipsi poetae

---

1) Si modo omnino ab Hercule Sophocles satyricae fabulae argumenum petivit, ne in eo quidem alieni quidquam est, quod merum Herculis ıomen inscripsit. Memorabile autem est Herculis personam destitutam ıeroica illa altitudine, quali Sophocles eam in Trachiniis, Euripides in lercule praeditam finxernnt, paullatim iam in humiliora delabi; comici nim eam occupant, velut Aristophanes in Avibus (act. Ol. 91, 2) et n Ranis (act. Ol. 93, 3). Itaque quod Sophocles inter satyros Herculem ıroduxit, inde ni fallor efficitur hanc fabulam ab eo sub extremum vitae empus, haud ita multum ante Ol. 93, 3, doctam esse.

2) Hoc enim ordine se excipientes fabulas trilogiam effecisse iam idetur inter plerosque constare.

3) Quod nonnusquam superstes δεσμώτης sub mero Promethei nomine ıemoratur (schol. Pind. Pyth. 5,35, Io. Tzetz. exeg. in Il. p. 52,24, id. p. 153, ;ustath. Il. p. 1389,61, id. p. 503,4, Antiattic. Bekk. anecd. p. 116,18), aria ratione videtur explicari posse. Aut enim hi scriptores, item atque ı alio loco statim afferendo factum esse verisimile habemus, non nominata ɜrta fabula totam trilogiam dixerint, aut iam non aliam trilogiae fabuım habuerint, nisi quam nos accepimus.

agnomina illa debentur? Ego quidem haud dubitarim al
censere[1]). Totius enim trilogiae argumentum ab uno Promet
pendet, cuius etsi mutata in singulis fabulis condicio, at eac
tamen in omnibus persona est. Facillime igitur potest Aeschy
uno indice *Προμηθέα* tres fabulas vocasse nondum inter
tanquam ampli unius dramatis actus distinctas, nisi ita forta
ut mera illa adiectiva, in secunda saltem ac tertia, titulos e
cerent[2]). Nec facile aliter poeta poterat, nisi vero eodem P
methei nomine in tribus deinceps titulis repetito taedium sp
tatoribus pariturus[3]). Certe supervacaneum egisset, si uni c
que fabulae certum titulum indidisset; totius enim trilog
unum erat argumentum. Immo quoniam omnino in inscriben
fabulis poetae brevitatem ac simplicitatem secuti sunt, no
per se veri simillimum est, ei Aeschylum etiam hic, quant
licebat, studuisse? An vero putas idoneam ei causam fui
cur singulas fabulas pleniore nomine adornaret? Licet en
quod nequaquam certum est, iam prius eodem Promet
nomine inscripta satyrica edita fuerit, simulac fabulam
Prometheo instaurabat ampla trilogia tractandam, iam nen
dubium esse poterat, quales in ea res spectandae essent,
iam satyricae illius humilius argumentum quisquam cogitab
Itaque cum ipse poeta spectatoribus satisfecisset tota trilo
sub uno *Προμηθέως* nomine edita, posteriores, cum negle
trilogiae continuatione singulae iam fabulae legebant
certiores illos indices in usum adduxerunt lectorum, ne
singularum argumentis ambigerent. Qua ratione etiam il
planius intellegitur, quod simpliciter *Προμεθεύς* laudatur,
totam trilogiam dici probabile est[4]).

---

1) Idemque suspicatur Wilamow. l. l.

2) Sic enim fortasse quis intellegendum duxerit, quod Aesch. 203 schol. Aesch. Prom. v. 94 *ἐν τῷ πυρφόρῳ* laudatur. Certe de etiam huius loci auctor totam trilogiam in manibus habuisse.

3) Incidimus hoc loco in eam quaestionem de qua nihil usqu traditum lego, quomodo docendarum fabularum nomina, antequam spec cula ipsa inciperent, in spectatorum notitiam perferri solita sint, utr per praeconem pronunciata an in tabulis publice fixis promulgata.

4) Aristot. Poet. c. 18. *ἡ τερατώδης* (scil. *τραγῳδία*), *οἷον αἵ τε Φορκ καὶ Προμηθεὺς καὶ ὅσα ἐν Ἅιδου*; fortasse etiam fr. 177 Galen. vol.

Satyricae autem illius iam pro certo affirmare licet verum titulum fuisse *Προμηθέα*, modo ea fabula, quae in argum. Aesch. Pers. *Προμηθεὺς* dicitur (vid. inter didascalica fragmenta infra par. 15), eadem sit atque quae pleniore nomine apud unum Pollucem bis *Προμηθεύς πυρκαεύς* vocatur (fr. 200 Poll. 10,64, id. 9,156). Etenim hoc *πυρκαέως* agnomen nondum in didascaliarum conscriptionibus exstitisse argumentum illud ex didascaliis derivatum, prae quo cetera testimonia sordent, satis declarat; in didascaliis autem eas titulorum formas debere scriptas fuisse, quas ipsi poetae adhibuerant, vix est omnino quod moneatur[1]). Itaque et trilogia illa et satyrica haec simpliciter *Προμηθεύς* inscriptae fuerint, nec inde quidem diiudicare licet, utra prior prodierit[2]), nec magis, utrum Promethea trilogia prior docta sit, an, cuius pars haec satyrica fuit, Persarum didascalia.

Ceterum quod in Prometheis item atque in aliis eiusmodi titulis, qui et proprio nomine et adiectivo efficiuntur, adiectivum nomini proprio saepe per articulum adiungitur, velut *Προμηθεὺς ὁ λυόμενος, Οἰδίπους ὁ ἐπὶ Κολωνῷ*, in universum hoc loco, quod per se patet, monendum est, ipsos poetas agnomen omisso articulo addidisse atque id praeposito nomini proprio, quippe quorum nil interesset, nisi ut personae propria condicio indicaretur, articulum apponere grammaticorum fuisse, qui certam fabulam ex cognominibus selegebant.

par. 7.

Πυρκαεύς Prometheus iam ad eas cognomines fabulas nos produxit, quarum alteram poeta altero tempore edidit. Atque de iis principalem hanc normam statuere licet, prioris titulum merum

---

p. 880; qui autem τοὺς Προμηθεῖς dixit, Aeschyli vitae auctor, distractas iam singulas habuit.

1) De didascalicis conscriptionibus cf. Boeckh. C. J. Gr. vol. I. p. 350.

2) Tamen satyricam prius prodisse contendit Dindorf. l. l.; aliter videtur Wilamow. l. l. cum dicit: »cum autem eandem personam alteri tragoediae inscribere vellent (scil. tragici), fieri potuit ut adiectivo uterentur, quamquam apud Aeschylum nec Glauco nec Prometheo satyricae didascaliae agnomen aliunde notum addunt«.

nomen proprium fuisse, posterioris demum additamento auctum[1]). Modo enim reputes, quae omnino titulorum ratio sit. Est autem nimirum ea, ut quam aptissime, magis etiam, ut quam brevissime argumenti summa indicetur. Nam si minus, num longe plurimae fabulae simplici unius personae nomine, ubi quidem non chorus magis placuit, inscriptae essent? Nec poetam putabis, cum priorem edebat, iam alterius scribendae aut consilium cepisse aut ipsum initium fecisse atque hinc ei causam exstitisse, cur etiam priorem certiore titulo adornaret. Sed distinctioni inter cognomines efficiendae poeta, quantum ipsius intererat, satisfaciebat, cum posteriorem sub ampliore indice emittebat. Hoc tamen opus fuisse puto, ut altera sane fabula iam ab ipso poëta pleniore titulo insigniretur. Neque enim certa adhuc exempla habemus, quibus doceamur utrique fuisse idem simplex nomen proprium inscriptum[2]). Atque hoc modo inversa via etiam eo pervenimus, ut quo tempore cognomines prodierint extremis quidem finibus liceat determinare. Cuius enim titulum breviorem fuisse vel constat vel evincere poterimus, ea prior edita sit necesse erit.

Ratio haec indicat: ex usu iam videamus num aliud appareat. Ac luce clarius res habet de duobus Sophoclearum fabularum paribus, de Aiacibus et Philoctetis. Duae enim Aiaces memorantur, praeter superstitem, quam recte iam deleto *μαστιγοφόρον* agnomine, quo plerumque veteres scriptores et codices utuntur, simpliciter *Αἴαντα* vocamus[3]), altera *Αἴας Λοκρός* de minore Aiace Oilei filio composita[4]). De quibus vetus testimonium docet (argum. Soph. Ai.), eius quae aetatem tulit titulum in didascaliis fuisse *Αἴαντα*, postea vero *μαστιγοφόρον* ascriptum esse eo consilio, ut argumentum eius certius indicaretur atque ab altera illa distingueretur, quae eodem Aiacis,

---

1) Cf. Dindorf l. l. et Wilam. l. l.

2) Dubitat de hac re Wilam. l. l. cum dicit: »vel duas cognomines fabulas extare passi esse videntur (tragici)«.

3) Ita iam Dind. l. l.

4) De argumento eius exposuit Welck. Trag. p. 161 sqq.



quamvis diversae personae nomine vocata erat[1]), Dicaearchum etiam eo processisse, ut prorsus alia significatione Αἴαντος θάνατον diceret. Quae nullo iure Schoellius (l. l. p. 175) reicit, cum Αἴαντα Λοκρόν omnino non exstitisse, sed quae sub eo nomine traduntur, re vera in Ἀντηνορίδαις scripta fuisse inde concludit, quod Locrensis Aias inter eas fabulas desideratur, quae in exordio illius loci τῆς Τρωικῆς πραγματείας fuisse traduntur, atque quod in didascaliis superstes nostra Αἴας notata fuit. Praeterquam enim quod Λοκρὸς Αἴας a satis multis et gravibus scriptoribus laudatur, quid, si ista placerent, de iis locis fieret, ubi cum simpliciter Αἴας citatur, Locrensis intellegenda est, quia ea, quae servantur, in superstite non leguntur? Atque argumenti illius Troici auctor, quasi vero cunctas eas fabulas nominare voluerit, quae in Troicis rebus versantur! Omisit enim etiam alias, quas exstitisse scimus. Sed opinabatur, ni fallor, vir eximius, ubi plures eiusdem nominis fabulae fuerunt, unamquamque earum debuisse ampliore titulo signari. Quodsi exstitisse Locrensem constat, in eius indice debebat sane Λοκροῦ agnomen non desiderari, quia sub uno Αἴαντος nomine nemo non potius Telamonium cogitabat; contra in ea, quam nos habemus, merum Aiacis nomen propter maiorem personae nobilitatem satis idoneum erat, quo inscriptio efficeretur. Atque eandem hanc ob causam de editionis tempore nil ego quidem conicere ausim. Tamen optime nobis quadrat, quod superstitem Aiacem inter primas Sophocleas habendam esse aliae rationes persuadent in ipsius fabulae natura sitae[2]).

De Philoctetis duabus, superstite una Φιλοκτήτης, altera deperdita Φιλοκτήτης ἐν Τροίᾳ, veterum adnotationes desunt. At ipsi tituli clamant. Neque enim eius, quae superest, pleniorem fuisse indicem ullo vestigio proditur, et Troiani agnomen plerum-

1) Itaque inter Romanos Livius Andronicus, qui Sophoclem imitatus ‚Aiacem mastigoporum‘ scripsit, iam ampliatum Sophocleae fabulae titulum noverat.

2) Cf. Dindorf. l. l. p. 15; Sophocles erklärt von Schneidewin 1. Bändchen Aias ed. VIII. p. 63 sq.

Φιλοκτήτης, aut prorsus alius titulus fuisse. Atque in unam fabulam duo haec nomina spectare ita fortasse putarit quis, ut ea a veteribus male distracta, in unum duplicem titulum iungenda sint. Verum ne ita fiat, vel ipse catalogus prohibet, in quo suo utrumque loco scriptum est; nam ceteri duplices tituli, quos aliunde novimus, etiam in eo pleni servati sunt. Accedit quod cunctos eos, qui duplices dicuntur, aliquantum suspectos esse infra (par. 10) apparebit. At alterutro fortasse tota didascalia significata fuerit, siquidem nonnulla nominum paria, quae, tanquam diversarum fabularum fuerint, in catalago seiuncta sunt, ita videntur eodem spectare, ut altero neglecto altero tota trilogia vel tetralogia dicatur. At omnino totam didascaliam Aeschylum in Philoctetae rebus impendisse nequaquam veri simile est [1]). Iam igitur unum id relinquitur, ut aliud argumentum anquiratur. Nec longe abest nobilis illa fabula de Argonautis, qui nimiae incuriae indulgentes aliquamdiu in Lemno commorabantur. Atque cum in ea imprimis mulieres Lemniae emineant, facili medela adhibita in catalogo *Λήμνιαι* pro *Λήμνιοι* legendum esse quod plerique iam censent, mihi quoque probatur. Tamen argumentum Aeschyleae huius aliquantum debet a cognomini Sophoclea diversum fuisse; eius enim summa iam in Aeschyleam *Ὑψιπύλην* cadit, si recte intellego, quae tradit schol. Apollon. Rhod. 1,769 (v. Nauck. l. l. p. 62 et 171) *ὅτι δὲ ἐμίγησαν οἱ Ἀργοναῦται ταῖς Λημνίαις Ἡρόδωρος ἱστορεῖ ἐν τοῖς Ἀργοναυτικοῖς. Αἰσχύλος δ' ἐν Ὑψιπύλῃ ἐν ὅπλοις φησὶν αὐτὰς ἐπελθούσας χειμαζομένοις ἀπείργειν, μέχρι λαβεῖν ὅρκον παρ' αὐτῶν ἀποβάντας μιγήσεσθαι αὐταῖς — Σοφοκλῆς δὲ ἐν ταῖς Λημνίαις καὶ μάχην ἰσχυρὰν αὐτοὺς συνάψαι φησίν.* Sophocleam et Euripideam cognomines fabulas eas, quarum illa aliquotiens, haec plerumque *Σκύριαι* vocatur, re vera *Σκυρίους* inscriptas fuisse pervulgata iam opinio videtur [2]). Ac profecto Euripideam non *Σκυρίας* fuisse, vel argumentum videtur persuadere, siquidem sub hoc chori nomine intellegendae essent

Aeschylus de Lemnio Philocteta scripsit, *Φιλοκτήτην* quae memoratur fuisse *τὸν ἐν Τροίᾳ*; huius enim nominis Sophoclea exstitit, Aeschyleae nullum adhuc vestigium reperitur.

1) Immo cf. Nitzsch. Sagenpoesie der Griechen p. 644 sqq.

2) Cf. Wilamow. l. l. p. 138; Robert l. l. p. 34, not. 40.

Lycomedis Syri regis filiae, inter quas Achilles a Thetide matre filii vitae prospiciente absconditus erat, at ab Ulixe per notum illud artificium recognoscebatur. Quaenam enim ratio inter chorum et Achillem fuisset, quando quidem etiam singularem eius personam aliquantum in fabula egisse per se patet? Scilicet deberet Achilles tum in choro, tum inter singulares personas prodisse.

Duos adhuc Aeschyleos titulos retinuimus, qui mira ratione in catalogo *Ἀργὼ ἢ κωπαστής*[1]) et *Σεμέλη ἢ ὑδροφόρος* scripti sunt. Mirum enim quod singulares formae *κωπαστής* et *ὑδροφόρος* usurpatae sunt, ubi ceteroquin plurale chori nomen legitur. Quod fortasse dubitarit quis num casui tribuendum sit. Possit enim unus *κορυφαῖος* pro choro dictus esse, nisi potius in priore titulo *κωπαστής* Argus nomini additum est eo consilio, ut significantius indicaretur fabulosae illius ac mirabilis navis proprietas, utpote quae animalis fere atque personae locum obtineat. Tamen quoniam ceteri duplices tituli chori nomen praebent, recte videtur *Ἀργὼ ἢ κωπασταί* et *Σεμέλη ἢ ὑδροφόροι* scribi, cum praesertim unus catalogus illam scripturam exhibeat[2]).

Iam vero ne in levioribus his tempus teratur, id potius videamus, quomodo totum titulorum habitum nobis veterum memoria servarit.

II.

Atque ampliores haud ita pauci exstant, qui cum plerumque plena forma ferantur, aliquotiens videntur a grammaticis decurtati esse. Causam nimirum eam dices, in citandis fabulis

---

1) Dubito enim num recte Welck. Prom. p. 312 *κωπαστής*, quod traditur, in *κωπευστής* (vel potius *κωπευσταί*) mutarit. Neutri scripturae aliunde argumenta subveniunt, quia nullo alio loco haec vox reperitur. Tamen cur non etiam *κωπάζειν* exstitisse possit ego non video, ex substantiva radice (*κώπη*) aeque in *άζω* derivatum atque alia multa denominativa verba, velut *κομπάζειν, κωμάζειν*. Num vere correxerit Welckerus dubitat etiam Nitzsch. l. l. p. 659 sq. Prorsus autem aliter hic titulus intellegendus erit, si non merus typographi error est, quod Nauck. l. l. p. 7 et p. 736 pro *ἢ κωπαστής* scribit articulum *ἡ κωπ.*

2) Item Sophoclea quae *ψυχαγωγοί* inscripta fuit singulari forma *ψυχαγωγός* vocatur Phrynich. (Bekk.) p. 73, 13 (v. Nauck. p. 68).

grammaticos commoditatem quandam facilitatemque appetisse. Varia autem ratione egerunt.

par. 4.

Saepius enim eorum titulorum, qui ex appellativo nomine et ex genitivo proprii nominis inde recti constant, i. e. qui ipsam rem indicant, quae in fabula agitur [1]), alterutra tantum pars memorata est. Ac propium quidem nomen attulisse satis habuerunt, qui Aeschyleam *Φρύγας ἢ Ἕκτορος λύτρα* uno *Ἕκτορος* nomine (Aesch. fr. 259 Stob. flor. 125,7) et Sophocleam *Ἑλένης ἀπαίτησιν* simpliciter *Ἑλένην* (Soph. fr. inc. 660 schol. Ar. Eq. v. 83) vocarunt. In aliis appellativum nomen toti indici substitutum est. Sic Aeschylea illa etiam *Φρύγες ἢ λύτρα* nuncupatur (Aesch. fr. 256 Poll. 7, 131). Item Sophoclea *Ἀχαιῶν σύλλογος* laudatur *σύλλογος* (Soph. fr. 149 Hes. 1 p. 1155), *σύνδειπνον* pro *Ἀχαιῶν σύνδειπνον* (fr. 143 schol. Soph. Ai. v. 190; fr. 147 Hes. 1 p. 117; fr. 148 schol. Soph. Oed. Col. v. 10). Sed de his nominibus quoniam dubitationes adhuc restant, uberius paullo agendum videtur. Prostant autem tituli *Ἀχαιῶν σύλλογος*, *σύλλογος*, *σύνδειπνοι*, *Ἀχαιῶν σύνδειπνον*, *σύνδειπνον*. Atque *Ἀχαιῶν συλλόγῳ* sive *συλλόγῳ* viri docti inter se consentiunt [2]) argumentum tribuenda esse ea, quae de Achivis narrantur ante belli Troiani ipsum initium Tenedi paulisper consistentibus [3]). Atqui etiam comissatio fertur ibi instituta esse, a qua et Philoctetae miseriae et fatalis illa inter Agamemnonem Achillemque discordia primam originem traxerunt. Qua de causa non miraberis, quod etiam cetera nomina ad Achivorum illum conventum referuntur atque satyrica una fabula statuitur duplici vel triplici titulo inscripta. At caveas, ne, cum ita censeas, veritatis minus quam opportunitatis videaris rationem habere. Namque in diversas fabulas vel ipsae nominum significationes tendunt. Nonne enim toto caelo notiones *σύλλογος* et *σύνδειπνον* inter se distant? Hoc, quod Latine est ‚convivium', res hilaris est et vitae privatae ideoque satyricae fabulae convenit, illud ‚concilium' res gravis et publica eamque non poterimus nisi de severiore tragoediae argumento intellegere.

1) Ceterum cf. de eiusmodi indicibus quae infra (par. 10) proferentur.
2) Excepto uno Schoell. l. l. p. 255 sqq.
3) V. Nauck. l. l. p. 127 sq.

ed veterum testimonia audiamus. Gravissimus locus exstat pud Athen. 8 p. 365b *σύνδειπνον εἴρηκεν ἐπὶ συμποσίου Λυσίας — διόπερ τινὲς καὶ τὸ Σοφοκλέους δρᾶμα κατὰ τὸ οὐδέτερον ἐπιγράφειν ἀξιοῦσι σύνδειπνον*, unde aperte discimus Sophoclei huius tituli, quem quidem Athenaeus norat, genuinam formam non neutralem *σύνδειπνον*, sed pluralem masculinam *συνδείπνους* fuisse, quam idem Athenaeus aliquotiens perhibet. Quae autem ab uno eo semel (1 p. 17d, fr. 141) laudatur *Ἀχαιῶν σύνδειπνον*, vix negabis eandem esse atque quae vulgo simpliciter *σύνδειπνον* dicitur; certe propter notionum diversitatem prorsus alia fuit atque *Ἀχαιῶν σύλλογος*, cuius apud hunc scriptorem mentio non fit. Iam vero Hesychius semel (2 p. 544, fr. 125) *συνδείπνους* memorat, semel (1 p. 117, fr. 147) *σύνδειπνον*[1]), *Ἀχαιῶν σύνδειπνον* nusquam, ter *Ἀχαιῶν σύλλογον* et semel eandem *σύλλογον*. Diversas igitur inter se duas fabulas etiam Hesychius distinguit, unam *συνδείπνους* inscriptam, quam alii indice ad ipsum fabulae argumentum conformato *σύνδειπνον*, alii etiam, quo certior esset inscriptio, addito Achivorum nomine *Ἀχαιῶν σύνδειπνον* vocabant, alteram *Ἀχαιῶν σύλλογον* vel *σύλλογον*. En autem exoptatissimum nobis auxilium ex ea ratione venit, quam Hesychius in ceteris duplicibus titulis sequitur. Etenim lego apud eum aut plenos eos servatos, aut, ubi altera tantum duplicis tituli pars affertur, eandem tamen ubique esse adhibitam. Itaque in his fabulis, Hesychius quod modo hoc modo illo nomine utitur, nec ipse nec auctor eius unam eandemque esse putabat. Simile aliquid fortasse etiam Athenaeus doceret, nisi omnes, qui quidem tragicorum principum sunt, duplices tituli semel tantum ac ne pleni quidem ab eo memorati essent. Nec magis ex ceterorum scriptorum locis quidquam extricare licet. Omnino autem quam periculosum sit novos etiam duplices titulos efficere, infra (par. 10) cognoscemus. Atque praeclare nostrae ratiocinationi convenit, quod diversas fuisse fabulas iam viri in his rebus peritissimi alia via inita comprobarunt [2]). — Eadem ratione vulgo

1) Nisi potius, quod cod. praebet, *συνδειπν̥ω* genitivus pluralis casus *συνδείπνων* est.

2) Welck. Trag. p. 110 sqq., Schoell. l. l. p. 255 sqq., etsi de argumentis aliquantum inter se discrepantes.

putatur Aeschylea *Διονύσου τροφοί* uno *τροφῶν* nomine vocati esse (Aesch. fr. 50 Phot. lex p. 47, 11; fr. 51, 52 Hes. 1 p. 996, id. 2 p. 898). Welckerus autem (Prom. p. 343, Nachtr. p. *Διονύσου τροφούς* prorsus reiecerat et *τροφούς* dici putarat coniunctos Niobes filiorum educatores filiarumque nutrices. Inter quas contrarias sententias ita existimo pacem conciliandam esse, ut servato argumento ei, quod *Διονύσου τροφοί* indicant, titulus assignetur *τροφοί*. Nam quod Welckerus merum hoc *τροφῶν* nomen incertius esse dicit, quam sub quo Dionysi nutrices intellegi potuerint, haud magni est; immo videntur poetae aliquid habuisse, cur in nominandis fabulis brevitati studerent (cf. inf. par. 14). Nec veri similius idem *τροφούς* ad Niobeas res refert. Tamen alter ille index *Διονύσου τροφοί* vix teneri potest. Neque enim nititur nisi uno testimonio eius generis, quorum haud ita certa fides est, argum. Eur. Med., ubi traditur *Αἰσχύλος δ' ἐν ταῖς Διονύσου τροφοῖς ἱστορεῖ ὅτι καὶ τὰς Διονύσου τροφοὺς μετὰ τῶν ἀνδρῶν αὐτῶν ἀνεψήσασα ἐνεοποίησε* (scil. Medea). Quae verba modo accurate perlegeris aliumque cum iis locum compararis, qui in eadem re narranda certam fabulam non nominat, schol. Ar. Eq. v. 1321 *ὥσπερ ἡ Μήδεια λέγεται, ὡς μὲν Αἰσχύλος ἱστορεῖ, τὰς τροφοὺς τοῦ Διονύσου ἀφεψήσασα ἀνανεάσαι ποιῆσαι μετὰ τῶν ἀνδρῶν αὐτῶν*, iam haud difficulter spero concedes, in argumento illo si non omnino fabulae nomen fictum, at certe *Διονύσου* nomen interpolatum esse a quodam eorum quae sequuntur verborum similitudine decepto[1]). Sed si minus tibi haec ratio fidem facit, ad aliam auctoritatem satis gravem provoco. Catalogum enim, qui *τροφούς* exhibet, caveas ne hac in re neglegas, in quo etsi non omnia recte se habent, tamen pleniores omnes indices, quos aliunde novimus, servati sint, velut non *κρίσις* pro *ὅπλων κρίσις* scriptum sit. Certe igitur qui catalogum conscripsit, huius fabulae non aliuni titulum nisi *τροφούς* habuit.

Ex his iam quid consequitur? Quam Aeschylus *τροφούς* nominarat, grammaticus *Διονύσου τροφούς* vocavit, Sophocleam *συνδείπνους* posteriores *Ἀχαιῶν σύνδειπνον*, *σύλλογον* posteriores

1) Quod iam Welck. Nachtr. p. 66 indicavit, falsus tamen in eo, quod una cum titulo ipsam fabulam delevit.

,2 p. 1111a10), altera satyrica pleno nomine in uno catalogo. onge enim plurimi loci *Σίσυφον* exhibent, atque eorum quamuam nonnulli videntur satyricam spectare[1]), plerique tamen trius fuerint ambiguum est.

par. 8.

Sed incertiora haec: accingamur ad certiora. Iam enim ıter cognomines fabulas nonnulla earum paria restant, quarum ı neutrius titulo agnomen quod fertur, ipsi poetae deberi haud ıfficile est ad comprobandum. Atque duas Euripides *Ἀλκμέωνας* :ripsit quae *ὁ διὰ Ψωφῖδος* et *ὁ διὰ Κορίνθου* vocantur, plerumue vero omissis additamentis citantur. Quarum Psophidium a oeta Ol. 85, 2, Corinthium post poetae mortem (Ol. 93,2) a cogomini filio doctam esse didascalicis testimoniis constat (v. infra ar. 15). Atqui in iis prior illa *Ἀλκμέων ὁ διὰ Ψωφῖδος*, posteor *Ἀλκμέων* audit. Ergo corruet tota nostra de eiusmodi titus ratio, qua videbatur prior fabula mero debere nomine prorio, pleniore indice posterior inscripta fuisse? Certe posteriori omen *Ἀλκμέωνι* fuisse didascalica illa auctoritate satis confirıatur[2]). Quid autem? Nempe nihil in ea re alieni est. Minor enim uripides Alcmaeonem, ut suam nimirum, docturus ex universa tituırum ratione simplici nomine proprio signavit. Nec aliter in priore ıa Psophidio maior Euripides fecerit. An putas eum iam tum orinthium scribere animum induxisse? Mirum enim nisi hoc, si ıente agitasset, per tam longum temporis spatium, quod ei ad ıpremum diem suppetebat, etiam ad effectum adduxisset. 'triusque igitur fabulae genuinum indicem *Ἀλκμέωνα* fuisse vel ıde sua sponte patet, quod alteram alter poeta edidit. At de 'sophidio ad didascalicum illud testimonium provocabis, in quo :gitur *Ἀλκμαίωνι τῷ διὰ Ψωφῖδος*. Sane didascalica ei quoque

---

1) Cf. Welck. Prom. p. 555 sqq.

2) Nisi forte amplioris tituli quamvis tenue vestigium in eo cernenım putas, quod in illo loco (schol. Ar. Ran. v. 67) cod. Venetus exhibet *ἰλκμαιω διονα*. Ad duas autem eiusdem fabulae editiones vix voles cum oeckh. Graec. trag. princ. p. 222 cogitatione dilabi; diversa enim aliuantum inter se argumenta fuisse vel eo declaratur quod sola adiectiva la reperiuntur, non reperiuntur singna *ά* et *β'*.

5,9 p. 47,24; fr. 210 id. 6,6 p. 49,13) deminutivam formam, fictam ut mihi videtur, eo consilio, ut levior satyricae huius fabulae natura indicaretur et ab alia distingueretur, cuius argumentum, velut superstitis Trachiniarum, in eiusdem Herculis gravioribus rebus versabatur [1]). Sed de altera tituli parte quid videbitur? Semel ἐπὶ Ταινάρῳ σατυρικῷ laudatur (fr. 213 Hes. I p. 515), ubi ἐπὶ et Ταινάρῳ coniungenda inter se titulum efficiunt; subest enim nominativus casus ἐπὶ Ταινάρῳ σατυρικόν. Quae tituli forma etiam apertius agnoscitur, ubi dicitur ἐν ἐπὶ Ταινάρῳ σατύροις (fr. 214 Phot. lex. p. 359,25) [2]). Bis legitur Σοφοκλῆς ἐπὶ Ταιναρίοις (fr. 211 Athen. 9 p. 375 d; fr. 212 Hes. I p. 217), ubi item ἐπὶ et Ταιναρίοις inter se iungenda sunt, ita ut recte videatur Guil. Dindorfius (ad Soph. fr. 220) iudicasse »grammaticos videri hanc fabulam Ἐπιταιναρίους dixisse, satyros intellegentes«. At hoc ἐπὶ Ταιναρίοις fortasse putarit quis intellegendum esse »bei den Bewohnern von Taenaron«, qui essent inferi, ad quos Hercules descendit, atque dictum esse eadem ratione, qua illud ἐπὶ Ταινάρῳ (σατυρικόν). At deberet, si ita esset, non Σοφοκλῆς ἐπὶ Ταιναρίοις, sed Σοφοκλέους ἐ. Τ. dictum esse. Neque enim ego quidem adhuc locum inveni, in quo et poeta et fabula nominativo casu memorati essent, sed aut fabulae nominativus est, poetae genitivus, aut inversa ratio. Iam igitur plenus index Ἡρακλῆς ἐπὶ Ταινάρῳ ubi tandem reperitur? Qui si umquam exstitisset, dubito an vestigium eius alicubi quamvis tenue agnoscere liceret. Atque omnino ne id quidem satis exploratum est, nomina illa unius eiusdemque fabulae fuisse [3]). Ut vero fuerint — ac possunt certe fuisse —, nemo duplicem titulum Ἡρακλῆς ἢ οἱ ἐπὶ Ταινάρῳ cogitabit, qui per se ut duplex titulus et nimia longitudine sua refutatur. Sed genuina inscriptio sine dubio Ἡρακλῆς fuit, quae brevitate

---

1) Aliter Wilamow l. l., qui Ἡρακλίσκον propriam dicit fabulam fuisse de puero Hercule scriptam, sicut Theocriti carm. XXIV Ἡρακλίσκος inscriptum fertur.

2) Comparat cum hac forma Wilam. l. l. comicorum Platonis ἀφ' ἱερῶν, Alexidis εἰς τὸ φρέαρ.

3) Quod monet etiam Wilam. l. l., qui tres satyricas fuisse suspicatur Ἡρακλέα, Ἡρακλίσκον, ἐπὶ Ταινάρῳ.

sua commentatur [1]), posteriores ei ἐπὶ Ταινάρῳ illud, modo re vera ad eandem fabulam referendum sit, non solum certioris nominationis gratia addiderunt, sed etiam unum ei substituerunt. Atque ita si recte statuitur, nescio an additamentum illud petitum esse possit ex vetere aliqua annotatione, quales de actionis loco ὑποθέσεις fabulis praescriptae, maxime eae, quae sub Aristophanis grammatici nomine feruntur, exhibent, cum dicitur ἡ σκηνὴ ὑπόκειται ἐν-, ἐπὶ-. Ad certiora autem fortasse nobis ascendere liceret, si vetus superesset Sophoclearum fabularum tabula.

par. 6.

Iam vero inter ipsas cognomines fabulas simplicissima earum ratio est, quae in eadem didascalia coniunctim doctae sunt. Quarum unum exstat egregium exemplum, Aeschyli Promethea trilogia. Atque eius singulos indices qui feruntur, Προμηθεὺς δεσμώτης, Π. λυόμενος, Π. πυρφόρος [2]) per se patet id sibi velle, ut Promethei res quales in singulis fabulis essent planius circumscribantur. Qua de causa etiam ubique fere singulae plenis nominibus vocantur [3]). Itane vero ipsi poetae

---

1) Si modo omnino ab Hercule Sophocles satyricae fabulae argumentum petivit, ne in eo quidem alieni quidquam est, quod merum Herculis nomen inscripsit. Memorabile autem est Herculis personam destitutam heroica illa altitudine, quali Sophocles eam in Trachiniis, Euripides in Hercule praeditam finxerunt, paullatim iam in humiliora delabi; comici enim eam occupant, velut Aristophanes in Avibus (act. Ol. 91, 2) et in Ranis (act. Ol. 93, 3). Itaque quod Sophocles inter satyros Herculem produxit, inde ni fallor efficitur hanc fabulam ab eo sub extremum vitae tempus, haud ita multum ante Ol. 93, 3, doctam esse.

2) Hoc enim ordine se excipientes fabulas trilogiam effecisse iam videtur inter plerosque constare.

3) Quod nonnusquam superstes δεσμώτης sub mero Promethei nomine memoratur (schol. Pind. Pyth. 5,35, Io. Tzetz. exeg. in Il. p. 52,24, id. p. 153, Eustath. Il. p. 1389,61, id. p. 503,4, Antiattic. Bekk. anecd. p. 116,18), varia ratione videtur explicari posse. Aut enim hi scriptores, item atque in alio loco statim afferendo factum esse verisimile habemus, non nominata certa fabula totam trilogiam dixerint, aut iam non aliam trilogiae fabulam habuerint, nisi quam nos accepimus.

agnomina illa debentur? Ego quidem haud dubitarim aliter censere[1]). Totius enim trilogiae argumentum ab uno Prometheo pendet, cuius etsi mutata in singulis fabulis condicio, at eadem tamen in omnibus persona est. Facillime igitur potest Aeschylus uno indice *Προμηθέα* tres fabulas vocasse nondum inter se tanquam ampli unius dramatis actus distinctas, nisi ita fortasse, ut mera illa adiectiva, in secunda saltem ac tertia, titulos efficerent[2]). Nec facile aliter poeta poterat, nisi vero eodem Promethei nomine in tribus deinceps titulis repetito taedium spectatoribus pariturus[3]). Certe supervacaneum egisset, si uni cuique fabulae certum titulum indidisset; totius enim trilogiae unum erat argumentum. Immo quoniam omnino in inscribendis fabulis poetae brevitatem ac simplicitatem secuti sunt, nonne per se veri simillimum est, ei Aeschylum etiam hic, quantum licebat, studuisse? An vero putas idoneam ei causam fuisse, cur singulas fabulas pleniore nomine adornaret? Licet enim, quod nequaquam certum est, iam prius eodem Promethei nomine inscripta satyrica edita fuerit, simulac fabulam de Prometheo instaurabat ampla trilogia tractandam, iam nemini dubium esse poterat, quales in ea res spectandae essent, nec iam satyricae illius humilius argumentum quisquam cogitabat. Itaque cum ipse poeta spectatoribus satisfecisset tota trilogia sub uno *Προμηθέως* nomine edita, posteriores, cum neglecta trilogiae continuatione singulae iam fabulae legebantur, certiores illos indices in usum adduxerunt lectorum, ne de singularum argumentis ambigerent. Qua ratione etiam illud planius intellegitur, quod simpliciter *Προμεθεύς* laudatur, ubi totam trilogiam dici probabile est[4]).

---

1) Idemque suspicatur Wilamow. l. l.

2) Sic enim fortasse quis intellegendum duxerit, quod Aesch. fr. 203 schol. Aesch. Prom. v. 94 *ἐν τῷ πυρφόρῳ* laudatur. Certe debet etiam huius loci auctor totam trilogiam in manibus habuisse.

3) Incidimus hoc loco in eam quaestionem de qua nihil usquam traditum lego, quomodo docendarum fabularum nomina, antequam spectacula ipsa inciperent, in spectatorum notitiam perferri solita sint, utrum per praeconem pronunciata an in tabulis publice fixis promulgata.

4) Aristot. Poet. c. 18. *ἡ τερατώδης* (scil. *τραγῳδία*), *οἷον αἵ τε Φορκίδες καὶ Προμηθεὺς καὶ ὅσα ἐν Ἅιδου*; fortasse etiam fr. 177 Galen. vol. 17,1

Satyricae autem illius iam pro certo affirmare licet verum titulum fuisse ***Προμηθέα***, modo ea fabula, quae in argum. Aesch. Pers. ***Προμηθεὺς*** dicitur (vid. inter didascalica fragmenta infra par. 15), eadem sit atque quae pleniore nomine apud unum Pollucem bis ***Προμηθεὺς πυρκαεύς*** vocatur (fr. 200 Poll. 10,64, id. 9,156). Etenim hoc *πυρκαέως* agnomen nondum in didascaliarum conscriptionibus exstitisse argumentum illud ex didascaliis derivatum, prae quo cetera testimonia sordent, satis declarat; in didascaliis autem eas titulorum formas debere scriptas fuisse, quas ipsi poetae adhibuerant, vix est omnino quod moneatur[1]). Itaque et trilogia illa et satyrica haec simpliciter ***Προμηθεύς*** inscriptae fuerint, nec inde quidem diiudicare licet, utra prior prodierit[2]), nec magis, utrum Promethea trilogia prior docta sit, an, cuius pars haec satyrica fuit, Persarum didascalia.

Ceterum quod in Prometheis item atque in aliis eiusmodi titulis, qui et proprio nomine et adiectivo efficiuntur, adiectivum nomini proprio saepe per articulum adiungitur, velut ***Προμηθεὺς ὁ λυόμενος, Οἰδίπους ὁ ἐπὶ Κολωνῷ***, in universum hoc loco, quod per se patet, monendum est, ipsos poetas agnomen omisso articulo addidisse atque id praeposito nomini proprio, quippe quorum nil interesset, nisi ut personae propria condicio indicaretur, articulum apponere grammaticorum fuisse, qui certam fabulam ex cognominibus selegebant.

par. 7.

Πυρκαεύς Prometheus iam ad eas cognomines fabulas nos produxit, quarum alteram poeta altero tempore edidit. Atque de iis principalem hanc normam statuere licet, p r i o r i s t i t u l u m m e r u m

---

p. 880; qui autem τοὺς Προμηθεῖς dixit, Aeschyli vitae auctor, distractas iam singulas habuit.

1) De didascalicis conscriptionibus cf. Boeckh. C. J. Gr. vol. I. p. 350.

2) Tamen satyricam prius prodisse contendit Dindorf. l. l.; aliter videtur Wilamow. l. l. cum dicit: »cum autem eandem personam alteri tragoediae inscribere vellent (scil. tragici), fieri potuit ut adiectivo uterentur, quamquam apud Aeschylum nec Glauco nec Prometheo satyricae didascaliae agnomen aliunde notum addunt«.

nomen proprium fuisse, posterioris demum additamento auctum[1]). Modo enim reputes, quae omnino titulorum ratio sit. Est autem nimirum ea, ut quam aptissime, magis etiam, ut quam brevissime argumenti summa indicetur. Nam si minus, num longe plurimae fabulae simplici unius personae nomine, ubi quidem non chorus magis placuit, inscriptae essent? Nec poetam putabis, cum priorem edebat, iam alterius scribendae aut consilium cepisse aut ipsum initium fecisse atque hinc ei causam exstitisse, cur etiam priorem certiore titulo adornaret. Sed distinctioni inter cognomines efficiendae poeta, quantum ipsius intererat, satisfaciebat, cum posteriorem sub ampliore indice emittebat. Hoc tamen opus fuisse puto, ut altera sane fabula iam ab ipso poëta pleniore titulo insigniretur. Neque enim certa adhuc exempla habemus, quibus doceamur utrique fuisse idem simplex nomen proprium inscriptum[2]). Atque hoc modo inversa via etiam eo pervenimus, ut quo tempore cognomines prodierint extremis quidem finibus liceat determinare. Cuius enim titulum breviorem fuisse vel constat vel evincere poterimus, ea prior edita sit necesse erit.

Ratio haec indicat: ex usu iam videamus num aliud appareat. Ac luce clarius res habet de duobus Sophoclearum fabularum paribus, de Aiacibus et Philoctetis. Duae enim Aiaces memorantur, praeter superstitem, quam recte iam deleto *μαστιγοφόρου* agnomine, quo plerumque veteres scriptores et codices utuntur, simpliciter *Αἴαντα* vocamus[3]), altera *Αἴας Λοκρός* de minore Aiace Oilei filio composita[4]). De quibus vetus testimonium docet (argum. Soph. Ai.), eius quae aetatem tulit titulum in didascaliis fuisse *Αἴαντα*, postea vero *μαστιγοφόρον* ascriptum esse eo consilio, ut argumentum eius certius indicaretur atque ab altera illa distingueretur, quae eodem Aiacis,

1) Cf. Dindorf l. l. et Wilam. l. l.

2) Dubitat de hac re Wilam. l. l. cum dicit: »vel duas cognomines fabulas extare passi esse videntur (tragici)«.

3) Ita iam Dind. l. l.

4) De argumento eius exposuit Welck. Trag. p. 161 sqq.

quamvis diversae personae nomine vocata erat[1]), Dicaearchum etiam eo processisse, ut prorsus alia significatione *Αἴαντος θάνατον* diceret. Quae nullo iure Schoellius (l. l. p. 175) reicit, cum *Αἴαντα Λοκρόν* omnino non exstitisse, sed quae sub eo nomine traduntur, re vera in *Ἀντηνορίδαις* scripta fuisse inde concludit, quod Locrensis Aias inter eas fabulas desideratur, quae in exordio illius loci *τῆς Τρωικῆς πραγματείας* fuisse traduntur, atque quod in didascaliis superstes nostra *Αἴας* notata fuit. Praeterquam enim quod *Λοκρὸς Αἴας* a satis multis et gravibus scriptoribus laudatur, quid, si ista placerent, de iis locis fieret, ubi cum simpliciter *Αἴας* citatur, Locrensis intellegenda est, quia ea, quae servantur, in superstite non leguntur? Atque argumenti illius Troici auctor, quasi vero cunctas eas fabulas nominare voluerit, quae in Troicis rebus versantur! Omisit enim etiam alias, quas exstitisse scimus. Sed opinabatur, ni fallor, vir eximius, ubi plures eiusdem nominis fabulae fuerunt, unamquamque earum debuisse ampliore titulo signari. Quodsi exstitisse Locrensem constat, in eius indice debebat sane *Λοκροῦ* agnomen non desiderari, quia sub uno *Αἴαντος* nomine nemo non potius Telamonium cogitabat; contra in ea, quam nos habemus, merum Aiacis nomen propter maiorem personae nobilitatem satis idoneum erat, quo inscriptio efficeretur. Atque eandem hanc ob causam de editionis tempore nil ego quidem conicere ausim. Tamen optime nobis quadrat, quod superstitem Aiacem inter primas Sophocleas habendam esse aliae rationes persuadent in ipsius fabulae natura sitae[2]).

De Philoctetis duabus, superstite una *Φιλοκτήτης*, altera deperdita *Φιλοκτήτης ἐν Τροίᾳ*, veterum adnotationes desunt. At ipsi tituli clamant. Neque enim eius, quae superest, pleniorem fuisse indicem ullo vestigio proditur, et Troiani agnomen plerum-

---

1) Itaque inter Romanos Livius Andronicus, qui Sophoclem imitatus ‚Aiacem mastigoporum' scripsit, iam ampliatum Sophocleae fabulae titulum noverat.

2) Cf. Dindorf. l. l. p. 15; Sophocles erklärt von Schneidewin 1. Bändchen Aias ed. VIII. p. 63 sq.

que saltem apud veteres servatum est[1]). Itaque superstes prio edita fuerit, Troianus autem post Ol. 92,3, quo anno illam pro disse constat (arg. Soph. Phil.)[2]). Ceterum memorabile est, ir argumento priori Philoctetae praescripto nullam alterius men tionem fieri, cuiusmodi in Aiacibus et Oedipis non deest. Unde nisi forte ea temporis iniuria intercidit, colligere licebit, eo tempore, quo Sophoclearum fabularum delectus, quem nos accepimus, una cum praemissis summariis instituebatur, Troianum Philoctetam omnino iam non exstitisse.

Certis his exemplis quod volumus confirmatur, inter cognomines fabulas priorem certe fuisse mero nomine proprio inscript m. Iam ceteroquin videamus quatenus haec lex valeat. Atque duae Aeschyleae Glauci exstiterunt, quae **Γλαῦκος πόντιος** et **Γλαῦκος Ποτνιεύς** audiunt. Quae et hanc praebent nobilem quaestionem, utra earum in argum. Aesch. Pers. intellegenda sit, ubi tertia eius didascaliae traditur **Γλαῦκος** fuisse, et illam, *πόντιος* utrum satyrica an tragoedia fuerit. Ac sciens de hac re quae viri docti disceptarunt singillatim retractare supersedeo[3]). Diligenter autem omnia reputanti iam dubium esse nequit, quin in illo loco ea **Γλαῦκος** dicatur, quae alioquin **Γλαῦκος** *πόντιος* vocatur. Ergo in didascaliis, ex quibus ille originem habet, ea sub uno Glauci nomine scripta fuit. An putas eam certiore indice eguisse? Marini enim Glauci fabula videtur nobilior fuisse[4]), atque in mero Glauci nomine vix ceterae eiusdem

---

1) Omittitur *ἐν Τροίᾳ* Soph. fr. 631 Stob. flor. 120,7; fr. 633 et 63 Hes. 1. p. 1030 et 1037.

2) Nescio quibus argumentis nisus Wilam. l. l. dicat: »Sophocli Philoctetam 409 doctam post Philoctetam in Troia conscriptam esse long probabilissimum«.

3) Cf. imprimis quae E. d. Leutsch disserit in Erschii et Gruber encyclopaedia (Halensi) s. v. »Glaucus«. Neque enim stare possunt, qua ad comprobandam satyricam *ποντίου* naturam maxime a God. Hermann in peculiari disputatione scripta de Aeschyli Glaucis in opusc. II. p. 59 sqq protulit. Ac *πόντιον* tragoediam fuisse nescio an colligere liceat etiam ex Pausan. 9,22,7 *Αἰσχύλῳ δὲ καὶ ἐς ποίησιν δράματος ἐξήρκεσεν* (scil. Glaucu Anthedonius), ubi verbi *ἐξήρκεσεν* notio vix tota exhauritur, nisi d ampliore tragoediae argumento intellegitur.

4) Cf. Gaedechens Glaukos der Meergott diss. Gött. 1859.

nominis personae cogitabantur[1]). Cur autem, quod E. de Leutsch (l. l.) deposcit, Aeschylo uni eiusmodi agnomina concedenda sint ut tragicorum principum vestustissimo, ego non intellego. Immo quod omnino videmus convenienter rei naturae in prioribus temporibus ampliorem esse simplicitatis vim, nonne contendere licet etiam in ea re maiorem Aeschyleae quam posteriorum poeseos nativitatem apparuisse, ut quam artissimi essent fabularum indices? Nec contra didascalicum illud testimonium quidquam ii loci valent, qui *πόντιον* exhibent (praeter catalogum fr. 27 anecd. Bekk. p. 347,24; fr. 29 Strab. 10 p. 447; fr. 30 vit. Arat. vol. 2 p. 430; fr. 32 Athen. 3 p. 87a). Atque etiam genuinam inscriptionem inter ceteros locos duo servarunt, ubi, cum ***Γλαῦκος*** laudatur, propter fragmentorum sensum haec marini Glauci fabula intellegenda est (fr. 31 schol. Pind. Pyth. 1 v. 152; fr. 33 schol. Theocr. Id. 4 v. 62). Contra in altera fabula laudanda, ubi quidem titulus affertur, nusquam veteres ***Ποτνιέως*** agnomen omiserunt. Quae vox inde quoque genuini speciem accipit, quod cum propria aliqua notione dicta est; est enim, ut Leutschius l. l. monet, idem atque »*ἐν-, ἐπὶ **Ποτνιαῖς***, der sich gewisser Zwecke wegen in Potniae aufhält.« Itaque marinus Glaucus, siquidem simpliciorem titulum ferebat, prior prodisse debebit. Nam cur Potniensis posterior fuisse nequeat, idoneam ego causam adhuc non video[2]).

Μελανίππης nomen Euripides duabus fabulis inscripsit, quae distinguuntur *σοφή* et *δεσμῶτις*. Ac de temporibus earum scimus *σοφήν* actam esse ante Ol. 92,1[3]), *δεσμώτιδα* post Ol. 88,3 veri simile est, siquidem in ampliore huius fragmento, Eur. fr. 495 Athen. 14 p. 613d, ubi traditur *καὶ Εὐριπίδης δ'ἐν τῇ δεσμώτιδι **Μελανίππῃ** ἔφη· ἀνδρῶν δε πολλοὶ τοῦ γέλωτος οὕνεκα | ἀσκοῦσι χάριτας κερτόμους· ἐγὼ δέ πως | μισῶ γελοίους,*

1) Praeter Potniensem etiam Glaucus Minois et Pasiphaes filius ab augure Polyido in vitam revocatus, de quo Aeschylus *Κρῆσσαι*, Sophocles *μάντεις*, Euripides *Πολύιδον* scripserunt.

2) Cf. Dindorf. ad Aesch. fragm. p. 102; Wilam. l. l.

3) Propter schol. Ar. Lysistr. v. 1125: *ὁ στίχος ἐκ σοφῆς Μαλανίππης Εὐριπίδου*, et Ar. Thesm. v. 545 sqq., quae Aristophaneae Ol. 92,1 doctae sunt.

οἵτινες σοφῶν περὶ | ἀχάλιν' ἔχουσι στόματα κτέ, recte videntur viri docti (Welck. Trag. p. 857; Wilam. l. l. p. 155 sq.) ipsum poetam agnovisse ad eas calumnias respondentem, quas comicorum imprimis Aristophanes in Acharnensibus (act. Ol. 88,3) in eum emiserat. Sed etiam longius nobis procedere licet. Etenim si modo (quod affirmat Welck. l. l.) fragmenti illius verba ad eas irrisiones respiciunt, quibus *σοφή* Melanippa agitata erat, haec *σοφή* debebit etiam ante Ol. 88,3 edita esse. Itaque prius ea quam *δεσμῶτις* prodiit. Atque ita esse ipsum *σοφῆς* adiectivum persuadet. An vero putas Euripidem fabulam suam eo nomine signasse, quo malevolorum ludificationes ilico ipse excitasset? Neque enim philosophantem mulierem depingere voluit, quod si voluisset, fortasse illa voce cum ironia quadam usus esset, sed ipse serio Anaxagorae placita, quae etsi priore tempore, attamen ipse secutus erat[1]), per Melanippae personam pronuntiavit, ac proprie comicorum ludibria non eam, sed ipsum poetam petebant. Itaque hanc cum Euripides *Μελανίππην* inscripsisset, alii haud ita multo post, ut videtur, nisi potius iam ipsi aequales eo indice nuncuparunt, quo insignis personae proprietas ac per eam ipsius poetae ingenium aptissime denotaretur[2]). Vinctae Melanippae plenior titulus nulla simili ratione infirmatur. Valde autem dolendum nobis est, quod Albanum Marmor certius nobis indicium non praebet; omnes enim cognomines fabulae ibi semel tantum leguntur in unum nomen coartatae.

Sequuntur Sophocleae *Ὀδυσσεῖς*, una *μαινόμενος*, scripta »de Ulixe ne ad Troiam navigare cogeretur furorem simulante et a Palamede fraudis convicto«, altera *ἀκανθοπλήξ*, cuius summa fuit »Ulixes *ἀκάνθῃ τρυγόνος θαλασσίας* a Telegono filio vulneratus et occisus.« Quarum altera etiam alio nomine *νίπτρα* vocatur (Soph. fr. 420 Phot. lex. p. 400,6 et Suid. v. *παρουσία*, qui unius testis instar sunt). Age vero ne dubitemus hoc *νίπτρα* exstirpare. Nam ne quid ei rei tribuamus, quod semel tantum legitur, num ipsi poetae hoc nomen

1) Quod tradit Dionys. Hal. Rhet. 8,10 et 9,11, v. Welck. Trag. p. 840 sqq.

2) Wilam. l. l. p. 59: »neque profecto *σοφήν* (scil. ipse poeta vocavit), quod non sine irrisione quadam dictum est«.

deberi inde concludes, quod inter Romanos Pacuvius suam ad Sophocleum exemplar compositam Niptra inscripsit[1]? Nec fugiet te quam male eo fabulae argumentum indicetur. Neque enim potest nisi ab ineuntis fabulae scena petitum esse minime insigni[2]), ac potius in tali titulo nobilius illud lavacrum cogitaretur, in quo Ulixes ab Euriclea recognoscitur[3]). Nec deest immutati indicis exemplum, memineris modo, Dicaearchum, ut ipsa res significaretur, Aiacem *Αἴαντος θάνατον* dixisse (v. arg. Soph. Ai.). Iam igitur ita res se habet, ut Pacuvius mutatum iam Sophocleae titulum habuerit, genuinus autem unus maneat *Ὀδυσσεὺς ἀκανθοπλήξ*. Ac plenus hic videtur inde ab initio inscriptus fuisse. Ubique enim veteres in laudanda hac fabula *ἀκανθοπλῆγος* agnomen servarunt; quod semel etiam eam vim exhibet, ut solum per se positum toti titulo substitui potuerit (fr. 416 schol. Il. 1 v. 137), nempe quia gravior tituli pars fuit. At non videtur in omnium usu fuisse; semel enim a gravissimo scriptore (Aristot. Poet. c. 14,6; cf. Nauck. l. l. p. 182 sq. et 609) alio nomine *Ὀδυσσεὺς τραυματίας* dicitur. Quae tamen varietas ita explicationem nanciscitur, ut memoriter scriptor neglecto genuino titulo, cum ipsam rem spectaret, ea voce usus sit, qua Ulixis illa condicio apte significatur[4]). Altera vero quamquam item ubique fere pleno nomine *Ὀδυσσεὺς μαινόμενος* vocatur[5]), tamen animum advertas, quam bene fuerit, si fuit *Ὀδυσσεύς* inscripta. Argumentum enim erat de simulato furore, in quo suscipiendo Ulixes tunc primum quamvis infelici successu astutiam illam calliditatemque quasi divinam praestabat, quae sub mero Ulixis nomine intellegitur. De tempore autem, quo hae editae sint, nec a veteribus quidquam accepimus nec ego similiter atque in Aiacibus

---

1) Haud iunctanter ita concludit Dindorf. ad Soph. fragm. p. 143, nec aliter videtur Ribbeck. l. l. p. 272 iudicare: »Sophocles in seiner Tragoedie *νίπτρα*, die häufiger unter dem Namen *Ὀδυσσεὺς ἀκανθοπλήξ* angeführt wird«.

2) Cf. Welck. Trag. p. 242.

3) A quo tota Odysseae rhapsodia undevicesima nomen *νίπτρα* accepit.

4) Cf. Welck. Trag. p. 247.

5) Ubi enim *Ὀδυσσεύς* dicitur, fr. 426 Phot. lex. p. 240,10, una vocula, quae servatur, utri fabulae adscribenda sit non liquet.

conicere voluerim. Ὀδυσσεύς enim index furenti propter maiorem argumenti nobilitatem satis idoneus erat seu prius seu postea acto.

Minus quid censendum sit de eiusdem duabus patet, quae a Nauplio, Palamedis patre, nomina acceperunt, Ναύπλιος πυρκαεύς et Ναύπλιος καταπλέων. Plurimis enim in locis, cum simpliciter Ναύπλιος laudetur, utra intellegenda sit nescimus. Nec satis adhuc de argumentis constat. Tamen non diversas duas fuisse audacius, ni fallor, viri docti affirmant[1]). Nam totius Nauplianae fabulae exiguitatem, quam vix duabus tragoediis suffecisse dicunt, nonne poeta propria quadam tractandi ratione compensasse potest? Nec magis duas unius fabulae editiones fuisse suspicari licet[2]); neque enim signa α' et β' vel similia deessent, quae in ceteris fabulis bis editis veteres usurparunt. Sed de adiectivis illis quid placebit? Καταπλέοντος vox omnino quomodo recte intellegatur parum liquet[3]). Sin recte Nauckius (l. l. p. 177) censuit dici ea Nauplium, ut necati filii ab Achivis rationem requireret, Troiam properantem, nescio an in ea grammatici cuiusdam manus agnoscenda sit minus accurate genuinam verbi notionem respicientis; est enim καταπλεῖν, si propriam praepositionis κατά vim tenemus, herabfahren, i. e. heimfahren[4]). Πυρκαέως autem agnomen videtur supervacaneum fuisse, siquidem nobilius eius argumentum fuit de Nauplio Achivorum classem fallacibus signis incensis in naufragium pelliciente. Neutrius igitur additamenti prorsus certa fides est. Utrum autem subditicium sit — nam alterutrum certe posteriori cuidam deberi non negabis —, non licet coniciendo assequi, atque graviter de his si de ullis Sophocleis fabulis veterem catalogum aliudve certius testimonium desideramus. — Dubii etiam in Aeschyleis Sisyphis haesitamus, quarum una tragoedia Σίσυφος πετροκυλιστής ter memorator (Aesch. fr. 229 schol. Ar. Pac. v. 73; fr. 230 Hes. 1 p. 1758; schol. Aristot. Eth. Nicom.

---

1) Welck. Trag. p. 184 sqq., Dindorf. Soph. fr. p. 141.

2) Quod suspicatur Dindorf. l. l.

3) Difficilius eam Welck. l. l. factitiva notione accipit de Nauplio efficiente ut Achivi in saxa Capharea naves appellerent.

4) Cf. Ar. Ran. v. 1126 sqq.

3,2 p. 1111a10), altera satyrica pleno nomine in uno catalogo. Longe enim plurimi loci *Σίσυφον* exhibent, atque eorum quamquam nonnulli videntur satyricam spectare[1]), plerique tamen utrius fuerint ambiguum est.

par. 8.

Sed incertiora haec: accingamur ad certiora. Iam enim inter cognomines fabulas nonnulla earum paria restant, quarum in neutrius titulo agnomen quod fertur, ipsi poetae deberi haud difficile est ad comprobandum. Atque duas Euripides *Ἀλκμέωνας* scripsit quae *ὁ διὰ Ψωφῖδος* et *ὁ διὰ Κορίνθου* vocantur, plerumque vero omissis additamentis citantur. Quarum Psophidium a poeta Ol. 85, 2, Corinthium post poetae mortem (Ol. 93,2) a cognomini filio doctam esse didascalicis testimoniis constat (v. infra par. 15). Atqui in iis prior illa *Ἀλκμέων ὁ διὰ Ψωφῖδος*, posterior *Ἀλκμέων* audit. Ergo corruet tota nostra de eiusmodi titulis ratio, qua videbatur prior fabula mero debere nomine proprio, pleniore indice posterior inscripta fuisse? Certe posteriori nomen *Ἀλκμέωνι* fuisse didascalica illa auctoritate satis confirmatur[2]). Quid autem? Nempe nihil in ea re alieni est. Minor enim Euripides Alcmaeonem, ut suam nimirum, docturus ex universa titulorum ratione simplici nomine proprio signavit. Nec aliter in priore sua Psophidio maior Euripides fecerit. An putas eum iam tum Corinthium scribere animum induxisse? Mirum enim nisi hoc, si mente agitasset, per tam longum temporis spatium, quod ei ad supremum diem suppetebat, etiam ad effectum adduxisset. Utriusque igitur fabulae genuinum indicem *Ἀλκμέωνα* fuisse vel inde sua sponte patet, quod alteram alter poeta edidit. At de Psophidio ad didascalicum illud testimonium provocabis, in quo legitur *Ἀλκμαίωνι τῷ διὰ Ψωφῖδος*. Sane didascalica ei quoque

1) Cf. Welck. Prom. p. 555 sqq.

2) Nisi forte amplioris tituli quamvis tenue vestigium in eo cernendum putas, quod in illo loco (schol. Ar. Ran. v. 67) cod. Venetus exhibet *Ἀλκμαιω διονα*. Ad duas autem eiusdem fabulae editiones vix voles cum Boeckh. Graec. trag. princ. p. 222 cogitatione dilabi; diversa enim aliquantum inter se argumenta fuisse vel eo declaratur quod sola adiectiva illa reperiuntur, non reperiuntur singna *ά* et *β'*.

auctoritas subest. Verum modo accurate inspicias, statim impostoris cuiusdam manum in articulo *τῷ* cognosces, qui non potest ab ipso poeta, itaque ne in didascaliis quidem scriptus fuisse. Atque quam perverse praepositiones *διά* positae sunt! Quae quid sibi velint, numquam tibi continget ut plane intellegas. Scilicet ex sermonis contextu solutae sunt ac verba aliqua eundi desiderant, unde regantur. Quare haud inepte fortasse coniecerit quis, agnomina illa ex vetere aliqua narratione de Alcmaionis rebus recepta atque genuinis indicibus adscripta esse.

Eodem non dubito quin Iphigeniarum superstitum additamenta *ἡ ἐν Αὐλίδι* et *ἡ ἐν Ταύροις* recidant. Nam ne has quidem idem poeta docuit, sed Aulidensem una cum Alcmaeone (Corinthio) minor Euripides[1]). Atque quamquam in didascalico illo loco Aulidensis pleno titulo scripta est, tamen huius etiam fides aliquantum eo imminuitur, quod articulus *ἡ* additus est, qui non nisi posteriori cuidam homini debetur. At iam dices fortasse in hoc didascalico loco si Iphigeniae verba· *τὴν ἐν Αὐλίδι* addita sunt, eodem iure contendi posse, Alcmaeoni verba *τὸν διὰ Κορίνθου*, olim in didascaliis adscripta fuisse atque postea detracta. At non prorsus eadem res est. Novimus enim, ni fallor, talibus in rebus veteres grammaticos, sicunde quid scribentes repetebant, largiores fuisse in augendo ex ea qua utebantur scientia, quam in diminuendo importuniores. Certe in nostro loco facilius putatur grammaticus concisa didascaliae verba, quo certiora redderet, additamento ampliasse, quam etiam

1) Cf. Wilam. l. l. p. 59; Ausgewählte Tragoedien des Euripides, für den Schulgebrauch erklärt von N. Wecklein, 2. Bdchn. Iphigenie im Taurierland Leipzig 1876, p. 16 sq. Neutram vivo Euripide doctam esse affirmat Dindorf. Soph. Ai. p. 3: »quae nunc Taurica dicitur, post mortem poetae edita simplici Iphigeniae nomine inscripta fuit ab ipso ni fallor, altera vero, cui Aulidensi nomen fecerunt grammatici, quum imperfectam reliquisset poeta numquam in scenam prodiit, sed a poetis quibusdam, aliis antiquioribus, aliis recentissimis et imperitissimis, continuata est atque interpolata«. Boeckh. l. l. p. 223 comprobare studet Aulidensem doctam esse ante Tauricam, quia sit »ante scripta, antea animo concepta«, itaque eam, quae in didascalico illo loco dicitur, debere alteram editionem esse.

quid de iis detraxisse. Quodsi etiam haec agnomina posteriores addiderunt, unde ea petita sint quaerenti nemini non statim in mentem venient, quae in lacero Tauricae argumento leguntur ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Ταύροις τῆς Σκυθίας.

Non aliter de Sophocleis duabus Oedipis censendum erit quas veteres secuti τύραννον et ἐπὶ Κολωνῷ vocare assuevimus. Coloneum enim scimus quinto demum post Sophoclis mortem anno a cognomini eius nepote doctam esse (v. infra par. 15). Verum accedunt aliae rationes. De rege enim modo ὑποθέσεις inspicias, quae ei praescriptae sunt. Ubi quod traditur ὁ τύραννος Οἰδίπους ἐπὶ διακρίσει θατέρου ἐπιγέγραπται et ὁ τύραννος Οἰδίπους πρὸς ἀντιδιαστολὴν τοῦ ἐν τῷ Κολωνῷ ἐπιγέγραπται, discimus inde, Regis indicem, quo certius a Coloneo distingueretur, τυράννου additamento auctum esse. Nempe a posterioribus, qui certam distinctionem in eo deriderabant. Porro verba χαριέντως δὲ ἅπαντες — ὥς φησι Δικαίαρχος, quamquam nil sunt nisi affectati grammatici argutiarum lusus, hoc tamen indicant, τυράννου vocem, quamvis apte, attamen additam a quodam esse. Ex iis autem quae insequuntur εἰσὶ δὲ καὶ — διὰ τὰ πράγματα, praeterquam quod Regem prius Coloneo editam esse confirmatur, illud quoque apparet, τυράννου agnomen non unum fuisse communi usu receptum; fuisset autem sine dubio, si ab ipso poeta additum. Adde quod vix ita Sophocles τύραννον inscripsisset, nisi vero argumentum ineptius indicaturus. Summam enim eius, si ipsam rem spectas, facile cognoscis non tam in miserrimo illo Oedipodeo regno versari, quam in cuncto funesto fato ipsi Oedipodi pervestigando atque cognoscendo. Fortasse τύραννον poeta hanc vocasset, si duas Oedipodas in una didascalia edidisset rerum aliqua continuatione inter se coniuntas. Atque hac una ratione, ut in Oedipodeis rebus quae sit prioris fabulae a posteriore insignis dissimilitudo spectetur, τυράννου vox omnino rectum sensum exhibet nec nisi de hac ratione potest a grammatico quodam adscripta esse. Quae autem de ea argumenti auctor disserit, cum dicit ἴδιον δέ τι πεπόνθασιν οἱ μεθ' Ὅμηρον ποιηταὶ τοὺς πρὸ τῶν Τρωικῶν βασιλεῖς τυράννους προσαγορεύοντες κτλ, non in titulum, sed illuc pertinent, quod hoc nomine nonnusquam poeta in ipsa

fabula utitur[1]). Eo igitur facilius ea in usum venire poterat. Itaque priorem hanc ipse Sophocles *Οἰδίποδα* inscripsit item atque Aeschylus et Euripides, quibuscum in summa saltem fabulae congruit. In Coloneo autem videri potest certiore indice opus fuisse, siquidem tota haec de Oedipo in Colono fabula propria Sophoclis ac nova erat[2]). Tamen qui eam edidit, minori Sophocli nulla haec distinguendi causa erat; edebat enim sub suo nimirum ipsius nomine. Nec neglegendum est, quod *ἐπὶ Κολωνῷ* non sola et una agnominis forma fuit, sed saepius, velut in illo argumento, etiam *ἐν τῷ Κολωνῷ* reperitur.

Etiam clarius res se habet de Hippolytis Euripideis, quae *καλυπτόμενος* et *στεφανίας* vel *στεφανηφόρος* inter se distinguuntur. Neque enim hae diversae duae fuerunt, sed *στεφανίας*, ea quam nos habemus, correcta *καλοπτομένου* editio (v. arg. Eur. Hippol.) Nec ita multis testimoniis haec agnomina nituntur. *Καλόπτυμενος* enim bis tantum invenitur (Eur. fr. 445 Poll. 9,50; schol. Theocr. Id. 2 v. 10, ubi cod. Vat. 5 *κατακαλυπτομένῳ*, al. *καλουμένῳ*)[3]), non invenitur, id quod pluris faciendum est, ubi ipsae reliquiae afferuntur; superstes altera pleniore titulo nusquam nisi ter vocatur (*στεφανίας* arg. Eur. Hippol.; *στεφανηφόρος* Hes. v. *ἀνασειράζων*, Priscian. p. 1168 ed. Putsch.). Ac spectes etiam quam male haec adiectiva posita sint. Nam *καλυπτομένου* vox sumpta profecto ab ea scena est, in qua Hippolytus cogitandus est novercae Phaedrae amorem confitentis incestis verbis quasi perculsus caput veste obvolvens[4]). Haec autem capitis obvolutio etsi quale sit Hippolyti ingenium evidenter ac manifesto quodammode declarat, num etiam in titulo videtur indicanda fuisse? Totius enim Hippolyteae fabulae summa unumque argumentum est inexpugnabilis illa castitas et quasi sua se virtute involvens. Sed obvelationis illius, si imam

---

1) De Oedipo v. 514 et v. 925, de Laio. v. 1043.

2) Alium enim Oedipodearum rerum exitum Aeschylus in Septem c. Theb. et Euripides in Phoenissis fecerent.

3) Quod Welck. Trag. p. 736 dicit: »Stobaeus citiert nach Schow einmal (5,16) *ἐν Ἱππολύτῳ α* und einmal (12,10) *ἐν Ἱππ. τῷ καλυπτομένῳ*«, editiones ibi merum Hippolyti nomen perhibent.

4) Cf. Welck. Trag. p. 739.

rem quaeris, una vis non in carmine, sed in actione fuit ita, ut ab actore ea per gestus motumque corporis spectantium oculis subiceretur. Alterius vero agnomina *στεφανίας* et *στεφανηφόρος* non solum eo improbantur, quod duo unius fabulae feruntur, verum etiam notiones eorum aperte ei rei repugnant, quam significare volunt. Est enim *στεφανηφόρος* item ac *στεφανίας* Latine coronifer, coronatus, quod facile exempla satis multa docent[1]). Hippolytus autem procedit (Eur. Hipp. v. 73 sqq.) non ipse corona decoratus, sed coronam secum portans Dianae dedicandam; nisi enim ab ea scena agnomina haec petita esse nequeunt[2]). Itaque quod per se longe veri simillimum est, iam pro certo affirmare licet, alteri editioni Euripidem item ac priori merum Hippolyti nomen inscripsisse.

par. 9.

Cognominum fabularum agmen earum grex claudit, quae cum numeris *α΄*, *πρώτη*, *προτέρα* et *β΄*, *δευτέρα* inter se distinguantur nec ullo vestigio diversa duo argumenta fuisse prodatur, bis editae esse nobis putandae sunt. Hoc autem per se patet, signa illa non ipsis poetis, sed grammaticis deberi, qui duas inter se editiones distinguebant, nisi potius iam in didascaliis altera editio aliquo modo notata erat, quode perquam inique accidit, quod didascaliarum fragmenta nullum nobis indicium praebent[3]). Quantum vero altera a priore distulerit,

---

1) Proprie *στεφανίας* est quod nos dicimus mit einem Kranze versehen, sicut *τραυματίας*, mit einer Wunde versehen, *Ὀδυσσεὺς* (*ἀκανθοπλήξ*) dicitur; eadem notione *στεφανηφορῶν* usurpatur a schol. Ar. Nub. v. 257 *ἄλλως· ἐν Ἀθάμαντι Σοφοκλέους ὑπόκειται Ἀθάμας στεφανηφορῶν ὥσπερ ἱερεῖον*.

2) Cf. Welck. Trag. p. 745. Iam Valckenaerius ed. Eur. Hippol. praef. p. XX. monet: »nec prodit in scenam Hippolytus coronatus«; deberet enim, si recta esset agnominis notio. Qua de causa doctissimus vir ipse aliam explicandi rationem inierat ingeniosius quam probabilius opinatus, *καλυπτομένου* voce indicare voluisse grammaticos prioris editionis infamiam, *στεφανηφόρου* illud quod correcta ea in certamen tragicum delata coronam deportavit.

3) Si verum esset, quod Boeckh. l. l. de Euripideis Alcmaeone (Corinthio) et Iphigenia (Aulidensi) contendit, in didascalico testimonio ubi eae memorantur, alteras editiones dici, nullo modo viderentur in

maxime quatenus ipse poeta iterum docendae fabulae mutationes retractando attulerit, quales inter tragoedias in Euripidea Hippolyto factae sunt, quatenus posteriores, imprimis histriones, manus iniecerint, vix unquam licebit dignoscere. Certe tamen aliqua debet alterius a priore diversitas exstitisse. Quid enim, nisi ita esset, omnino distinctiones illae sibi vellent? Atqui de hac re dubitatio inde exsistit, quod supra audivimus Sophoclis Oedipum (Regem) etiam *πρότερον* vocatam fuisse. Itaque in iis quoque fabulis, quarum diversa erant argumenta eaque iam aliquo modo in indice inter se distincta, grammatici signa illa adhibuerunt, maxime in priore, quippe cuius titulus simplicior esset[1]). Tamen siquidem in cognominibus fabulis omnibus, quae diversi argumenti erant, etiam pleniora agnomina reperiuntur, hoc saltem dubitari nequit, quin earum fabularum paria, quarum neutra discernitur nisi numero *α'* et *β'*, non diversa bina dramata, sed binae eiusdem editiones fuerint.

Ac certe huc spectant Sophocleae *Λήμνιαι* (*προτέρας* memorat Steph. Byz. p. 257,5, Soph. fr. 353) et ***Τυρώ*** (*α'*: fr. 584/6 Hes., *β'*: fr. 587 Stob. flor. 109,2, fr. 589 Phot. lex p. 177, fr. 590 schol. Aesch. Pron. v. 128; *δευτέρα*: fr. 588 schol. Ar. Av. v. 275). Nec aliter intellegendum erit, quod eiusdem *Ἀθάμας α'* et *Ἀθ. β'* vel *δεύτερος* (haec omnia apud unum Hesychium) vel *ἕτερος* distinguuntur. An vero diversa duo argumenta fuisse ex hac *ἑτέρου* voce colligere licet, qua unus schol. Ar. Nub. v. 257 utitur?[2]) Neque enim nisi hoc ea indicatur, aliquam exstitisse discrepantiam, quae potest etiam in mera tractandi ratione posita fuisse; ac veteres hanc vocem non constanter sibi eadem ubique notione usurpasse, inde cognoscimus, quod in arg. Soph. Oed. (Reg.) altera Oedipus (Coloneus) *ἕτερος* dicitur, nova autem editio *ἑτέρα* ***Εἰρήνη*** in arg. III.

---

didascaliis alterae a prioribus distinctae fuisse. Tamen fuisse colligere licebit ex argum. III. Ar. Pac. (v. Meinek. ed. Aristoph. Lips. 1860 vol. I. p. 263), ubi traditur *φαίνεται ἐν ταῖς διδασκαλίαις καὶ ἑτέραν δεδιδαχὼς Εἰρήνην ὁμοίως Ἀριστοφάνης.*

1) Etiam simplicibus numeris diversa argumenta signantur, cum Platonis *Ἀλκιβιάδης* itemque *Ἱππίας πρότερος* et *δεύτερος* distinguuntur, id quod doctissimus vir Theod. Birtius me monuit.

2) Quod collegit Welckerus Trag. p. 319 sqq.

Ar. Pac. Item de unius fabulae duabus editionibus intellegitur, quod Sophoclis *Φινεὺς πρῶτος* (fr. 636 Steph. Byz. p. 179,7) et *Φ. δεύτερος* (fr. 637 8 Hes.) memorantur, atque earum in alteram *τυμπανιστῶν* nomen cadere quod aliquotiens traditur, iam pro certo habetur[1]). Itaque hoc chori nomen, quod plerisque in locis legitur, genuina videtur alterius fabulae inscriptio fuisse, Hesychius vel auctor is, quo usus est, cum argumentorum similitudinem eandemque in utroque Phinei personam spectaret, *Φινέα δεύτερον* dixisse. At num poetae alteram eiusdem fabulae editionem mutato indice nominare licebat, tanquam si prorsus nova prodiret? Sane enim etiam apud Romanos notum est nonnumquam immutari titulos, velut pro Plauti Casina Sortientes, Patruns Pultiphagonides pro Poenulo dictum est. Tamen tales mutationes non ab ipso Plauto, sed post mortem eius videntur factae esse eo tempore, quo fabulae eius, cum aliquamdiu absconditae ac neglectae iacuissent, repetebantur ac novarum loco spectatoribus offerebantur (cf. Frid. Ritschelium parergon Plautinorum Terentianorumque vol. I. p. 165 sqq., ib. p. 203 sqq.). Ipsa igitur nomina haec potius aut in duas fabulas tendunt prorsus inter se diversas aut, si una tantum erat, in duas eius editiones longo saltem temporis intervallo inter se distantes. — Vix aliter, ni fallor, explicandum est, quod duae Sophocleae *Θυέσται* citantur (*Θ. α'*: fr. 227 Orion. flor. 5,10 p. 47,26, cetera agnomina apud Hesych.), quamquam hic quoque vulgo duae editiones intelleguntur. Etenim etiam in his aliud agnomen reperitur *ἐν Σικυῶνι* vel *Σικυώνιος* (item apud Hes.), quo tamen utra fabula dicatur non liquet[2]). Memorabile autem est, quod omnes huiusmodi fabulae unius Sophoclis sunt, nisi una iis accedit Euripidea satyrica *Αὐτόλυκος*, semel *πρῶτος* memorata (Eur. fr. 284, Athen. 10 p. 413c), ubi tamen

1) Cf. Welck. Trag. p. 330 sqq.

2) Coniectura est quod Welck. Trag p. 366 suspicatur *Σικυώνιον* posse ita dictum esse, ut sub *α'* intellegeretur *Ἀτρεὺς ἢ Μυκηναῖαι*, in qua item Thyestes prodierit; quod autem ipse Welckerus ita rem expedit ut censeat *Σικυώνιον* priorem editionem dici, alteram etiam *Πελοπίδας* audivisse, non probabilius est; neque enim hunc titulum veteres norunt, sed Welckerus ad Accii Pelopidarum similitudinem mere finxit.

πρώτῳ ex σατυρικῷ corruptum esse Nauck. l. l. p. 350 censuit, ac recte censuit, nisi casu accidit, quod de alia satyrica denuo docta nihil nobis veteres prodiderunt[1]). Iam ex his, quae de cognominibus fabulis exposita sunt, ut rationem subducamus, in iis quoque cognovimus simpliciores titulorum formas ipsis poetis deberi, grammaticos certiorem significationem ac distinctionem appetiisse ea ratione ut, ubi breviores erant genuini indices, agnomina adscriberent nonnumquam ineptiora.

par. 10.

Sequitur inter pleniores indices ut de iis videamus, qui proprie duplices dicuntur. Sunt autem, quos propter veterum testimonia pro certis etiamnum tenemus, hice: Aeschyli **Κᾶρες ἢ Εὐρώπη** (praeter catalogum Aesch. fr. 96 Steph. Byz. p. 461,16, qui alio loco, fr. 95 p. 707,13, chori nomine **Κᾶρας** laudat), *Σεμέλη ἢ ὑδροφόροι* (catal., qui *Σεμ. ἢ ὑδροφόρος* exhibet; fr. 217 schol. A Il. 4 v. 319), *Ἀργὼ ἢ κωπασταί* (catal., in quo *Ἀ. ἢ κωπαστής*), *Φρύγες ἢ Ἕκτορος λύτρα* (catal.; schol. Ar. Ran. v. 911; schol. rec. ib.; *Φρύγες ἢ λύτρα*: fr. 256 Poll. 7,131, qui alio loco, 7,91, fr. 260 *Φρύγας* laudat; *ἢ Ἕκτορος λύτροις*, ubi videntur *ἐν Φρυξὶν* excidisse: fr. 266 Hes. 2 p. 1394, qui ceteroquin saepius unum chori nomen exhibet), *θεωροὶ ἢ Ἰσθμιασταί* (catal., in cod. Med. *θεόδωροι ἢ ἰσομισταί*; fr. 76 Hes. 2 p. 7, qui alio loco, 1 p. 486, fr. 75 *Ἰσθμιαστάς* exhibet), Sophoclis *Ἀτρεὺς ἢ Μυκηναῖαι* (Soph. fr. 138 Hes. 1 p. 1386, cod. *Ἀτρεῖ ἢ Μυκήναις*), *Πανδώρα ἢ σφυροκόποι* (fr. 442 Hes. 2 p. 241), Euripidis nullus. Minime autem ubique hae fabulae duplici titulo, immo longe in plurimis locis alterutro tantum nomine vocatae sunt. Tamen non mirer, si forte etiamnum vulgari opinioni assensus plerosque testes veteres mutilasse duplices illos ac

1) Ceterum in universum de his fabulis primo obtutu mirum videri potest, quod non plures etiam quam duae editiones memorantur, quasi bis tantum eandem fabulam docere licuerit aut prorsus aliud sibi illa signa velint. Sed non alias editiones dici consentaneum est, nisi quas ipsi poetae instituerunt, ii autem autem vix plus semel easdem fabulas retractarunt.

decurtasse putes. Verum quoniam vidimus genuinis indicibus posteriores non tam subtraxisse aliqua, quam potius addidisse, id quod supra apparuit, alia nobis eaque verior explicandi ratio investiganda erit.

Atque ex hac proficiscendum observatione. Nam quoniam tam raro ipsi duplices tituli reperiuntur, etiam videtur aliquo iure dubitari posse[1]), an alii aliquot tituli, etsi nusquam in unum duplicem iuncti leguntur, tamen in unum iungendi sint, siquidem unius eos fabulae fuisse si non constat ubique, at veri simillimum est. De quibus iam veterum testimonia examinemus. Atque Sophoclis ***Αἰθίοπες***, quod nomen satis multis testibus firmatur, semel ***Μέμνων*** nuncupatur (arg. Soph. Ai.). Item pro ***Καμίκιοι*** semel ***Μίνως*** dicitur (Soph. fr. 371 Clem. Alex. Strom. 6 p. 741, cf. Nauck. ad fr.). Semel ***Τήλεφος*** vocatur (fr. 519 Hes. 1 p. 109), quae ceteroquin (etiam apud eundem) ***Μυσοί*** audit; cuius tamen duplici titulo vel ea ratio obstat, qua supra (p. 13 ad *σύλλογον*) vidimus duplices ab Hesychio servari. ***Ἐπίγονοι*** dicitur (fr. 187/8 Stob. flor. 38,27 et 73,41), quae plerumque (etiam ab eodem) sub ***Ἐριφύλης*** nomine citatur. Quae vulgo *μάντεις* vocatur, ter ***Πολύιδος*** audit (fr. 365 Porphyr. de abstin. 2,19; fr. 366/7 Hes. 1 p. 509 et 1 p. 291, qui *μάντεις* non exhibet). Atque quod huic in editionibus duplex titulus inscribitur, id audacius fieri docet fr. 357 Etym. Paris. in annot. ad Etym. Gud. p. 1011, cuius auctor rectam Polyidi nominis scripturam non ***Πολύειδον***, sed ***Πολύιδον*** esse probaturus argumenta petit partim ex Aristophaneae cognominis indice, partim ex ipsius Sophocleae tragoediae loco eo, ubi in ea Polyidi nomen legebatur. Nam si Polyidi nomen etiam in Sophocleo indice ipso scriptum fuisset, nonne eo grammaticus item atque in Aristophanea fabula usus esset, quo quod volebat comprobaretur? Certe igitur grammaticus hic nullum titulum nisi *μάντεις* norat. *Ναυσικάας* et *πλυντριῶν* nomina pari inter se testimoniorum inopia aequant. ***Φινεὺς β'*** et *τυμπανισταί* ne in unum titulum copulenter, item Hesychii illa laudandi ratio impedit, atque omnino num una eademque fabula dicatur, supra vidimus dubitari posse. Quae

1) Id quod dubitarunt viri docti, imprimis Welckerus Trag. p. 65 sqq.

ῥιζοτόμοι vocatur, semel *Πελίας* inscribitur (fr. 443 Erotian. gloss. in Hippocr.). De *Πηλεύς* et *Φθιώτιδες*, quarum illa quattuordecim, haec quattuor locis (idque etiam apud eosdem scriptores) memoratur, parum adhuc liquet; parum liquet scilicet, quorum poetarum aut cuius has fabulas dicat Aristoteles poet. c. 18,2. Non magis patet quomodo *Δόλοπες* et *Φοῖνιξ* inter se habeant, quia de argumentis eorum omnia incerta sunt[1]). Nec de Euripidis *Συλεύς* et *θερισταί* quidquam constat[2]). Eiusdem autem *Κρῆσσαι* et *Θυέστης* videntur duae potius diversae fuisse[3]).

His igitur nominibus breviter perlustratis quid iam emergit? Aperte hoc, in nullis eorum debere titulum duplicem fuisse, ne posse quidem in nonnullis. Illi autem, quos supra adscripsi quosque certos esse adhuc duximus, num omnes omni ex parte certi sunt? Haud levem mihi quidem inter eos suspicionem usque movit, qui fertur *θεωροὶ ἢ Ἰσθμιασταί*[4]). Qualis enim haec inscriptio, qua incredibile nobis id obtrudatur, duo chori nomina poetam fabulae indidisse, incredibilius eo, quod utroque eorum eadem res significatur. Nam duplicum inscriptionum ratio si aliqua unquam fuit, ea nimirum fuisse debet, ut insignia duo eaque diversa nomina vim sociarent ad fabulae argumentum ex duabus partibus quam planissime circumscribendum. Haec autem duo non tam ipsius fabulae, quam unius chori nomina sunt eiusque priore, ut philosophice dicam, genus notatur, altero species. Item fortasse res se habet in eo, qui fertur *Ἀργὼ ἢ κωπαστής*, modo *κωπαστής* eo sensu accipi possit, quo supra (pag. 11) indicatum est.

Sentis iam quo tendam. Aut enim egregie fallor aut dubitandum est, num duplices tituli ab initio fuerint fabulis

---

1) Adumbrare ea suscepit Welckerus Trag. p. 140 sqq.

2) Cf. Welkerus Prom. p. 506, Nachtr. p 302, Wilamow. l. l. p. 159.

3) Cf. Hermann. ed. Eur. Cycl. praef. p. XIV, Wilamow. l. l. p. 153.

4) De nominum sensu cf. Welck. Nachtr. p. 131 sq., qui cum *Ἰσθμιασταῖς* confert *Δηλιαστάς*, *Πυθιαστάς*, ad rem confert Thuc. 8,10 *ἐν δὲ τούτῳ τὰ Ἴσθμια ἐγίγνετο καὶ οἱ Ἀθηναῖοι, ἐπηγγέλθησαν γάρ, ἐθεώρουν ἐς αὐτά*. Cur autem cum Welck. Prom. p. 339 not. 592 *θεωρῶν* nomen corruptum esse putemus, nulla causa est; nam quod in catalogo codex exhibet *θεώδωροι*, ex aliis locis, qui hanc fabulam memorant, satis certam medelam accipit.

inscripti. At inauditum hoc ac paene contumeliosum dices, eos dirimere indices, quos ut benigna nobis sorte servatos grato adhuc animo bonaque fide accepimus. Nec tamen nova haec dubitatio. Sed iam Blomfieldius obiter suspicatus est, non ipsos poetas duplice nomine fabulas signasse[1]). Praeclare hoc vir doctissimus. Quam enim censes poetis idoneam causam fuisse cur ita agerent? Num ut quam accuratissime argumenti summa spectatoribus indicaretur? Immo et ratione et usu docemur, id quod infra clarius apparebit, quam brevissimo ubique modo inscriptionem factam esse, nec quidquam contra hanc rationem aliae rationes valent quas quis protulerit. Atque illud quoque respicias quod Romanorum apud tragicos nullus reperitur duplex titulus, aqud comicos autem qui reperiuntur, ac sunt perpauci, ne ipsi quidem poetis, sed grammaticis posterioribus tribuendi videntur (cf. Ritschl. l. l.). Nec in didascaliarum reliquiis duplicis ullius tituli vestigium exstat neque exstaret, credo, si qua in iis illarum fabularum, de quibus agitur, enotata esset.

Qua vero ratione duplices orti erunt, si non ab ipsis poetis positi? Grammaticos vel neglectis vel non cognitis genuinis inscriptionibus aliquotiens pro iis novas finxisse et dubii illi tituli, de quibus modo vidimus, testes sunt et infra in peculiari capite clarius apparebit. Imprimis autem Alexandrinorum aetate, cum tragicorum item atque aliorum poetarum novae editiones instituerentur[2]), sine dubio etiam in indicibus haud pauca mutata sunt. Ac patet quo consilio. Scilicet illis temporibus cum iam minus spectarenter, quam lectitarentur fabulae, grammatici, ne legentibus vel lecturis de fabulae argumento dubitatio esset, pro genuino titulo alium posuerunt eum, quo planius videretur dramatis summa indicari. Quod facillime ita efficiebant, ut ipsam rem inscriberent, quae in fabula agebatur. Sic enim

1) Blomfieldius in Mus. Cantabr. II. p. 656, v. Welck. Trag. p. 71 not. 9.

2) Quode Tzetzae testimonium exstat, allatum a Keilio in Mus. Rhen. vol. VI. p. 243 *'Αλέξανδρος ὁ Αἰτωλὸς καὶ Λυκόφρων ὁ Χαλκιδεὺς ἀλλὰ καὶ Ζηνόδοτος ὁ Ἐφέσιος τῷ Φιλαδέλφῳ Πτολεμαίῳ συνωνηθέντες βασιλικῶς ὁ μὲν τὰς τῆς τραγῳδίας, Λυκόφρων δὲ τὰς τῆς κωμῳδίας βίβλους διώρθωσαν, Ζηνόδοτος δὲ τὰς Ὁμηρείους καὶ τῶν λοιητῶν.*

iam Dicaearchus Sophoclis Aiacem *Αἴαντος θάνατον* vocarat, sic fortasse etiam Phrynichi tragicorum antiquioris *Πέρσαι* alio nomine ad ipsum argumentum conformato *Μιλήτου ἅλωσις* dicta est[1]), sic pro Aeschyli Phrygibus *Ἕκτορος λύτρα* in usum venit[2]). Hac igitur ratione evenit, ut eadem fabula in altero libro sub altero indice ferretur. Iam ponas, in quo non est quod mireris, fuisse quosdam, cum duae unius dramatis inscriptiones iis offerentur, vel accuratiores vel potius utra genuina esset incertiores: eos nonne putabimus varia illa nomina recepisse ita, ut per particulam *ἢ* in unum ea conecterent? Quae ratio manifesto quodammodo in illo *θεωροῖς ἢ Ἰσθμιασταῖς* exstat. Etenim in uno libro legebatur *θεωρῶν* nomen, verius sine dubio, quippe minus certum, in altero certius *Ἰσθμιασταί* inscriptum; nescius quidam ea coniunxit et eum effecit indicem, qui primo obtutu permirus atque ineptissimus videatur[3]). Ac recte nos ita statuere, certissimum argumentum liceat ex comicae Graecorum poeseos finibus arcessere. Legimus enim apud Pollucem 10,59 — *ἐν Ἀναξανδρίδου ζωγράφοις ἢ γεωγράφοις, ἑκατέρως γὰρ ἐπιγράφεται τὸ δρᾶμα.* Ubi nonne in ipso maleficio grammaticus deprehenditur duplicem titulum procudens, cuius criminis etiam quasi excusationem postrema verba quaerunt? Quamquam Aug. Meinekius fr. com. Graec. vol. I. p. 370: »Quae res, inquit, mihi quidem nequaquam credibilis videtur ac vereor

---

1) Cf. Welck. Trag. p. 24 sqq., Nauck. p. 558.

2) Itaque omnes eiusmodi indices videntur in suspicionem vocari posse, velut *ὅπλων κρίσις, Ἑλένης ἀπαίτησις, ἔρις.* Tamen tenendi ii erunt, siquidem non item altera harum fabularum nomina reperiuntur.

3) Proprie in eo cum *θεωρῶν* nomen *Ἰσθμιαστῶν* voce certius determinetur, particulae *ἢ* vis ea est, quae si nos dicimus ‚oder genauer ausgedrückt‘, ‚das heisst‘, ‚nämlich‘, ita ut *ἢ* idem valeat atque eae particulae, quas alioquin saepius grammatici in definiendis vocibus usurpant, *ἤγουν* vel etiam *ἤτοι*. Atque hanc notionem in fallor hoc *ἤτοι* exhibet in Strattidis comici titulo *ἀγαθοὶ ἤτοι ἀργυρίου ἀφανισμός*, in quo viri docti adhuc offenderunt, cf. Meinek. l. l. p. 224. Quamquam enim de argumento huius comoediae nihil certi lego, tamen, modo duo haec nomina, quae coniuncta inter se unus Suidas tradit, eodem spectent, altera tituli pars (de cuius sensu cf. Mein. l. l. p. 473, vol. II. pars I. p. 252) videtur mihi ea ratione addita esse, ut recte acciperetur nominis *ἀγαθῶν* propria notio, quae ironica est.

ne vitiosis libris se decipi passus sit grammaticus multae lectionis sed nullius iudicii.« Scilicet putasse videtur vir eximius, omnes qui traduntur titulos non posse nisi ab ipsis poetis esse inscriptos. Nos potius cum iam sciamus aliter rem se habere, verius ni fallor illum locum interpretati erimus, cum agnovimus in eo ipsum grammaticum, cum eandem fabulam in altero libro sub altero indice legeret, duos eos in unum copulantem. Cur enim postrema verba *ἑκατέρως γὰρ ἐπιγράφεται τὸ δρᾶμα*, quae satis distincte Pollux addit, prorsus reicienda sint, causam non invenio. At de comicorum poetarum duplicibus titulis, quos veterum memoria nobis tradidit, aliae sententiae exstant ac dixerit fortasse quis, etiam hic eas valere. Aliquotiens enim Meinekius in eodem libro de Graeca comoedia suspicatur altero nomine alteram recensionem indicari ita ut fabula, cum retractata iterum ederetur, novum indicem acceperit, velut de Phrynichi qui est *τραγῳδοὶ ἢ ἀπελεύθεροι* (l. l. p. 158), Strattidis *Μακεδόνες ἢ Παυσανίας* (p. 231), Alexidis *Κρατεύας ἢ φαρμακοπώλης* (p. 395), imprimis vero in Antiphanis *ἄγροικος ἢ βουταλίων* (p. 331)[1]. Eorum autem qui apud Romanos proprieque qui apud Plautum feruntur, Ritschelius (l. l. p. 133 sq., 165 sqq., 203 sqq.) partim eandem originem statuit, partim eam, ut poeta, cum alterutrum nomen iam antea adhibuisset ad aliam fabulam inscribendam, ampliato posterioris titulo hanc ab illa distinguere voluerit. At vix tibi tale quid placebit. Nam ut prius de altera hac ratione videamus, nec in eos titulos ea cadere potest, de quibus nos agimus, siquidem nullus inter eos est, cuius alterutro nomine etiam alia fabula signata fuerit, neque omnino multo pluris est quam coniectura nullis certis argumentis aut exemplis firmata. Ad alteram autem recensionem quod attinet, quaenam recensio intellegenda esset? Nempe ut et Meinekius videtur putare et Ritschelius apertis verbis monet (p. 166 not. *), ea quam ipse poeta instituerat. Ei autem num licuisse putas (id quod iam supra p. 3.. monuimus), novum titulum inscribere, quasi novam

---

1) De hoc nisus testimonio Athen. 8 p. 358 d *ἐν βουταλίωνι, ὅπερ δρᾶμα τῶν Ἀγροίκων ἐστὶν ἑνὸς διασκευή*, quae tamen quomodo recte intellegenda sint, etiam Meinekius dubium relinquit.

fabulam ederet, cum quamvis retractatam mutatamque, at eandem tamen edebat? Atque quod retractatas fabulas novas inscriptiones accepisse certis testimoniis traditur, ipse Ritschelius (p. 167) non modo dubium esse dicit, utrum ipsi poetae an posteriores grammatici eas dederint, verum etiam certum testimonium affert, quo probetur grammaticos dedisse, ita ut aperte ipse refellat quod paucis antea contenderat. Sic igitur iam tibi persuaseris rem se habere: Idem utriusque editionis index erat, id quod luculentissime Euripidea Hippolytus docet, litterati vero, ut legentium studio inservirent, genuino nomini novum aliquod supposuerunt; hoc autem facto cum duo ferrentur, paullum relictum erat, ut ea in unum duplicem titulum iungerentur. Itaque melius de nobis ii meruerunt, qui alterutrum tantum, quam qui utrumque memorarunt, nec iam, quod antehac putabamus, ea duplicum titulorum vis est, ut ipse poeta fabulae summam quam certissime voluerit spectatoribus indicare, sed re vera etiam nobis dubitatio relinquitur optioque datur, uter index sit verus habendus.

Uter autem sit si quaeris, vix quidquam ex veterum diversissima laudandi ratione extricari poterit. Nec ita rem absolves, ut ei, qui priorem locum tenet, alterum dicas adscriptum esse. Sed illud respicias, quod chori nomen non solum scriptum legitur in omnibus de quibus supra vidimus, verum etiam plerumque saltem propter maiorem testimoniorum copiam praestat ei tituli formae, qua singularis nominatur persona. Atque chori nomen etiam ipsi poetae magis debebat placere, quoniam chorum in titulo significari spectatorum intererat, id quod infra tibi persuadebis (par. 14). Atqui chori nomen plus habet incerti ad fabulae argumentum indicandum quam singularis personae; huius enim nomine audito de summa quidem fabulae qualis ageretur iam nemo poterat dubius esse nec nos de ea ambigimus. Itaque nisi gravi errore praepediti sumus, ut lectoribus fabulae argumentum ostenderetur in titulo quam poterat planissime delineatum, chori nomini posteriores primariam personam substituerunt, alii etiam adiecerunt. An vero inversa ratione opinaris, ita quemquam voluisse legentium studio inservire, ut, si ab initio singularis persona, velut *Μέμνων*, fuisset inscripta, pro ea obscurius poneret

chori nomen *Αἰθίοπας*?[1]) Iam vero patet qua de causa omnes fere illi, in quibus variasse veteres grammaticos vidimus, unius Sophoclis sint. Quia enim insigniores apud eum quam apud Aeschylum singulares personae sive heroes sive heroides prominent, in quibus depingendis divinam suam artem praestitit, satis apte ab his poterant fabularum nomina repeti. Nec iam illud mirum duces, quod nullus inter duplices titulos Euripideus fertur. Etenim una huius rei causa ni fallor ea est, quod in Euripideis fabulis minus grammaticis faciendum erat, ut certiores indices redderentur; ipse enim iam poeta lectorum studio quamvis fortasse invitus inservierat, cum longe plurimis fabulis et simplicissimam et certissimam rationem secutus primariam personam inscripserat[2]).

III.

Eiusdem illius mutandi rationis, ex qua duplices tituli videntur orti esse, alia aliquot quae prostant exempla lustrasse expediet.

par. 11.

Atque eodem quo dicimus modo singularis persona pro choro appellatur, cum inter superstites Euripidea *Βάκχαι* dicitur *Πενθεύς* (a Stob. et in cod. Florent. 32,2, Kirchhoff. *C*), *ἐν Ἑκάβῃ* laudantur quae Hecuba in *Τρῳάσι* v. 117 pronuntiat; inter deperditas Sophoclea *ποιμένες* sub *Ἀνδρομάχης* nomine

---

1) De ceteris duplicibus qui satis multi et apud tragicos minores et apud comicos nec minus apud alios scriptores feruntur, non hic locus est ut accuratius inquiratur; satis habere debemus simplicissimam quae videtur explicandi rationem proposuisse atque in tragicorum principibus quoad nos possumus comprobasse. Prorsus autem aliud ac duplices hi, etsi eandem formam habent, ii indices sibi volunt ab ipsis scriptoribus inditi, quorum duo nomina per particulam ἤ inter se coniuncta unum titulum ita efficiunt, ut discrimen id indicetur, in quo solvendo ipsum argumentum versatur, utra res sit alteri anteferenda; cuiusmodi sunt Antisthenis περὶ φρονήσεως ἢ ἰσχύος, etiam Epicharmi ἐλπὶς ἢ πλοῦτος, quod monuit Theod. Birtius Elpides p. 28 et not. 92.

2) Cf. infra par 14.

vocatur (Soph. fr. 131 Etym. M. p. 653,13)[1], Euripidis **Μήδεια** dicitur ubi *Πελιάδες* intellegenda videtur (Eur. fr. inc. 852 schol. Ar. Ach. v. 119, cf. Nauck. ad fr.).

Similiter ubi non chorus, sed singularis persona nomen dederat, ei aliam in fabula prodeuntem grammatici substituerunt. Tamen maxime in hac re valet, quod omnino propter reliquiarum penuriam tenendum est, non posse non unum alterumve nomen propriae fabulae fuisse, etsi nullum eius aliud vestigium servatum est. Irrita autem iam ex iis, quae modo exposuimus, opera esset si quis etiam hic duplices aliquos titulos extricare vellet, praeterquam quod eiusmodi inscriptionis, quae ex duobus nominibus propriis constiterit per particulam *ἤ* inter se iunctis, apud principes quidem tragicorum ne imago quidem usquam cernitur[2]). Atque Aeschylea *ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας* semel *Ἐτεοκλῆς* vocatur (v. Welck. Prom. p. 611 not. 19), Sophoclea *Ἠλέκτρα* semel *Ὀρέστης* (v. Welck. Trag. p. 68), inter Euripideas *Ἠλέκτρα* dicitur pro *Ὀρέστης* (v. Welck. Trag. p. 457), *Πολύδωρος* pro *Ἑκάβη* (v. Welck. Prom. l. l.), *Φαίδρα* pro *Ἱππόλυτος* (v. Welck. Trag. p. 68 et 457), *Ἀλεξάνδρα* pro *Ἀλέξανδρος* Sophoclea et Euripidea (Soph. fr. 92 Eust. Il. p. 533,40, Eur. fr. 64 Hes. 1 p. 551)[3]). Quorum vitiorum pleraque videntur ita orta esse, ut pro titulo ea persona poneretur, quae prologum pronuntiabat[4]). Huc etiam Euripidea quae memoratur *Λαμία* recidit (cf. Welck. Trag. p. 527 sq.), nec aliter Euripideae *Κρεσφόντου* titulum intellegebant, qui apud Euripidem Cresphontis filio non Cresphonti, sed Telephonti nomen fuisse opinabantur[5]).

---

1) Cf. Welck. Trag. p. 113 sq.; Nauck. ad fr. *ἐν Ἀνδρομέδᾳ* legendum censet.

2) Quod Eur. fr. 727 schol. Ven. Ar. Pac. v. 528 laudat *Εὐριπίδου ἐκ Τηλέφου ἢ Τληπολέμου*, auctor cum memoriter laudaret, ipse videtur dubitasse utra in fabula verba quae profert scripta essent. Inaniter finxit G. Dindorfius *Γλαῦκος ἢ Πολύιδος*, Welckerus *Ἀλήτην καὶ Ἠριγόνην* et *Ἀλκμέων ἢ Ἀλφεσίβοιαν*; Timesithei autem tragici qui fertur *Ὀρέστης καὶ Πυλάδης*, propriam ac singularem vim habet.

3) *Ἀλεξάνδρα* enim Cassandra est, quae in his fabulis prodiit, cf. Welck. Trag. p. 465 sq.

4) Cf. Blomfield. l. l.

5) Cf. Aristoteles über die Dichtkunst griech. u. deutsch von Fr. Susemihl Leipz. 1874 not. 135 p. 249; Nauck. l. l. p. 395.

Similiter Sophoclis *Θησεύς* dicitur pro *Φαίδρα* (Soph. fr. 228 Phot. lex. p. 342,11; Suid. v. *ὄμπιον νέφος*), *Κλυταιμνήστρα* pro *Ἰφιγένεια* (fr. 310 Erotian. gloss. in Hippocr. p. 62), *Ἱπποδάμεια* pro *Οἰνόμαος* (fr. 428 Stob. flor. 27,6), *Ἀλήτης* pro *Ἠριγόνη* (septies, at apud unum Stobaeum, fr. 98/104), *Δανάη* pro *Ἀκρίσιος* (fr. 169 schol. Soph. Ai. v. 1; fr. 170 Hes. 1 p. 649; fr. 172 id. 1 p. 380, qui etiam *Ἀκρίσιον* laudat; fr. 171, 173, 174 Antiattic.), *Ἴων* pro *Κρέουσα* (fr. 296 Orion. flor. 7,10 p. 51,29; fr. 297 Stob. flor. 103,10), Euripidis *Κερκύων* pro *Ἀλόπη* (Eur. fr. 107 et 108, quinquies apud unum Eustathium, qui *Ἀλόπην* non memorat), *Γλαῦκος* pro *Πολύιδος* (fr. 638, 644, 645 ter apud Stobaeum, qui etiam *Πολύιδον* exhibet), *Μήδεια* pro *Αἰγεύς* (semel apud Stob., v. Welck. Trag. p. 456). Nec tamen in his nominibus diiudicare licet, utra persona alteri supposita sit, utra verum nomen dederit, sed acquiescendum nobis erit in eo discrimine, quod ex testimoniorum numero fertur. Quomodo autem eiusmodi variationes ortae sint, veteres ipsi indicant [1]). Saepissime enim persona pronuntians ea quae afferuntur inducitur, velut Aesch. fr. 193 Strab. 4, 183, ubi legitur *φησὶ γοῦν Προμηθεὺς παρ᾽ αὐτῷ* (scil. Aeschylo), vel Soph. fr. 583 Stob. flor. 105,13 *Σοφοκλέους Τυνδάρεως* (scil. *φησί*). Qualia si quando parum accurate a posterioribus legebantur, facillime accidere poterat, ut personae loquentis nomen pro fabulae titulo acciperetur [2]). Accedit quod in lemmatibus etsi vulgo praepositiones *ἐν* et *ἐξ* cum suis casibus vel meri hi casus usurpantur, tamen saepius etiam nominativus casus ponitur, ita ut per se quidem etiamnunc dubium esse possit, utrum fabula an persona nominetur. Sic enim e. g. legimus Aesch. fr. 248 Plut. Moral. 1087 f *μάρτυς ὁ Αἰσχύλου Φιλοκτήτης ἱκανός*; Soph. fr. 326 et 327 Stob. flor. 38, 26, id. 91, 28 *Σοφοκλέους Κρέουσα*, ubi tamen propter verborum quae afferuntur naturam Creusa loquens intellegi nequit; Eur. fr. 670 Stob. flor. 73,20 *Εὐριπίδου Βελλερο-*

---

1) Cf. Welck. Trag. p. 68.

2) Iam Valckenaerius diatrib. p. 16 monet: »saepe numero evenit ut interlocutores dramatum veteribus commemorati tanquam dramatum nomina ab interpretibus aliisque viris literatis considerarentur.«

φόντης, ubi quae servantur, Bellerophon videtur in *Σθενεβοίᾳ* pronuntiasse.

Longius etiam grammatici processerunt, cum eam personam nominarunt, quae non ipsa prodibat, sed de qua in fabulae sermone agebatur. Sic enim laudantur *Αἰσχύλου ἐξ Ἀμφιαράου* (schol. Plat. de re publ. II. p. 361b), quae de Amphiarao proferuntur Sept. c. Theb. v. 575; *Εὐριπίδης ἐν Ἡρακλεῖ* (Eur. fr. 476 anecd. Bachmann. vol. I. p. 412,7), quae de Hercule in *Λικυμνίῳ* scripta fuisse aliunde scimus (Eur. fr. 476 Diog. Laert. 3,63); cuius erroris fontem in eo loco agnoscere licet, ubi iisdem verbis afferendis praescriptum legimus *κατὰ τὸν Εὐριπίδειον Ἡρακλέα* (Eur. fr. 476 Plutarch. vit. Marcell. c. 21); hoc enim utrum de fabula an de persona intellegendum sit, sane grammaticus posterior dubitare poterat; *Σοφοκλῆς ἐν Τάλῳ* (Soph. fr. 165 schol. Apoll. Rhod. 4, 1638), cum de Talo in *Δαιδάλῳ* actum fuisset (cf. Welck. Trag. p. 73 sqq.); *Σοφοκλῆς ἐν Προμηθεῖ* (schol. Pind. Pyth. 5 v. 35), quae videntur in *Κολχίσι* scripta fuisse (cf. Welck. Prom. p. 35 not. 39, Nachtr. p. 62 sqq.). Nec aliter Sophocleam *ξοανηφόρους* ortam esse (schol. Aesch. Sept. v. 304), quo nomine dici videntur dii e pessumdanda Troianorum urbe simulacra sua auferentes, Welckerus (Trag. p. 66 sq.) mihi quidem comprobavit. Profecto enim vix cogitari possunt immortales dii in ipso humanarum rerum excidio chori munere fungentes. At etiam Oceanidum et Eumenidum choros videmus in scenam prodeuntes? Tamen interest, ni fallor, aliquid inter has inferiorum numinum turbas et deorum illud concilium duodecim in Olympo sedentium.

par. 12.

Aliquantum vero gravius veteres peccarunt, ubi manifesto errore implicati confusionem effecerunt. Quod ut fieri posset statim cognoscemus varias causas concurrisse. Tamen in universum nonnihil ei tribuendum videtur, quod per se consentaneum est, non ubique grammaticos ipsos libros in manibus habuisse, unde describendo quae afferebant haurirent, sed saepe nulla nisi memoriae fide nisos esse vel incerta vel prorsus falsa.

Atque aliquotiens poetarum nomina permiscuerunt. Scilicet diversorum poetarum fabulae exstabant, quarum si non nomina, at argumenta eadem erant quamvis varia ratione tractata, eadem apud plures erat, quam veteres dicunt, *μυθοποιία*; ubi autem inter similes fabulas una propter compositionis nobilitatem vel alia de causa prae ceteris placebat ac pervulgata ferebatur, facile evenire poterat, ut in eam cumularentur, quae alius poeta in simili scripserat. Sic videntur demutato etiam indice sub Sophocleae *Φαίδρας* nomine venisse, quae Euripideae *Ἱππολύτου* sunt (Eur. fr. 434 Stob. flor. 63,25)[1]). Nec nihil interdum mirus quidam in sententiis, maxime in locis communibus inter poetas concentus valuerit, quem aliquotiens nobis percipere licet[2]). Respiciendum autem etiam hoc erit. In schol. ad Aristoph. Ach. v. 332 sqq., ubi traditur *τὰ δὲ μεγάλα πάθη ὑποπαίζει τῆς τραγῳδίας, ἐπεὶ καὶ ὁ Τήλεφος κατὰ τὸν τραγῳδοποιὸν Αἰσχύλον, ἵνα τύχῃ παρὰ τοῖς Ἕλλησι σωτηρίας, τὸν Ὀρέστην εἶχε συλλαβών κτλ.,* vix negabis[3]) non Aeschyleam, sed Euripideam *Τήλεφον* intellegendam fuisse; mirum enim, ni item in hoc loco comicus in Euripideam tenderet, utpote qua nullam magis cum alioquin tum in ipsis Acharnensibus castigare eum iuvarit. Recte igitur Wilamowitzius iudicat, scholiastam ipsum certi poetae nomine omisso scripsisse *ἐπεὶ καὶ ὁ Τήλ. κατὰ τὸν τραγῳδοποιόν, ἵνα τύχῃ κτλ.*, idque ita ut Euripidem diceret, posteriorem quendam falso Aeschyli nomen addidisse[4]). Itaque nonnum-

---

1) Cf. Valckenaer. l. l. p. 16: »quandoquidem Sophoclis Phaedra valde fuit nobilitata, minime mirandum est hic illic sub Phaedrae nomine citari, quae sunt ex Euripidis Hippolyto derivata.

2) Exempla collegit Boeckhius l. l. p. 241 sqq.

3) Quamquam negavit Welckerus Trag. p. 31 sq.

4) Cf. Robert l. l. p. 147. Videtur scholiasta ille ideo Euripidem simpliciter *τὸν τραγῳδοποιόν* dixisse, quod, qui poeta intellegendus esset, ex antecedentibus locis satis apparebat. Tamen quoniam ceteroquin in Acharnensibus idem scholiasta Euripidem certo nomine vocat, verius putabimus, ei Euripidem fuisse *τὸν τραγῳδοποιὸν τὸν κατ' ἐξοχήν*. Qua ratione non dubito quin alii aliquot loci intellegendi sint, ubi cum item nomina *τραγικός*, *ποιητής*, similia usurpantur, ex totius loci continuitate certi poetae nomen suppleri nequit. Ac pro Homero dictum esse *τὸν ποιητήν* tritissimum, velut Eur. fr. 659 Strab. 8 p. 356 *ὡς ὁ ποιητὴς τὸν Λέοβον Μάκαρος πόλιν*

quam cum veteres grammatici, id quod in editionibus innumerabilia adespota fragmenta luculenter declarant, non certum poetam nominassent, postea mala sedulitate falsum nomen adscriptum est. Quocum comparandum est, quod Sophoclea *Ἑλένης ἀπαίτησις* Euripidi tribuitur (Etym. M. p. 430,15; cf. Welck. Trag. p. 456), Sophocli dantur, quae Eur. Iphig. Aul. v. 993 leguntur (Hes. 1 p. 227), Aeschylea *ξάντριαι* in codicibus deterioribus (Aesch. fr. 162 schol. Ar. Ran. v. 1344) Euripidi assignatur; ac referendae huc etiam eae fabulae erunt, de quibus supra par. 2 breviter vidimus, si falsi sumus, quod propter testimoniorum penuriam reiciendas eas esse negavimus. Quod Sophocli *Μελανίππη* adscribitur (Eur. fr. 491 schol. Ar. Ran. v. 1.0), ita explicandum videtur, ut, quod scriptum fuisset *Μελανίππη σοφ.*, male posterior legerit *Μελανίππη Σοφοκλέους*. Dubitantes ipsi veteres agnoscuntur, ubi dissentientes legimus utrum Euripidis an Philistio versuum, qui afferuntur, auctor sit (Eur. fr. 1027 Stob. flor. 22,5, Maxim. Conf. vol. 2 p. 625), et similiter nonnumquam codices de poetarum nominibus inter se variant.

Etiam eiusdem poetae fabulas grammatici confuderunt, velut sub Sophocleae Oedipi (Regis) nomine citantur (Hes. 1 p. 101), quae leguntur Oed. Col. v. 977. Cuiusmodi vitia facile exsistere poterant, siquidem eadem persona in pluribus fabulis prodit iisdem moribus praedita similiaque ex simili animi motu locuta. Ac ne hic quidem nihil sententiarum aliqua similitudo valuerit. Nec neglegendum est, saepius poetae nomen, cum ab initio solum scriptum esset, postea falso fabulae nomine videri ampliatum esse[1]). Dubitationis autem eius, ex qua talia nasce-

---

(*καλεῖ*) Homerus dici videtur, qui Il. XXIV. v. 544 canit *ὅσσον Λέσβος ἄνω, Μάκαρος ἕδος, ἐντὸς ἐέργει*; schol. Aesch. Prom. v. 436 *διὰ περίσκεψιν σιωπᾷ ὁ Ζεὺς παρὰ τῷ ποιητῇ πρὸς τὴν τῆς Θέτιδος ἀπαίτησιν* item Homerus; ita tamen Aesch. fr. 157 Lucian. Encom. Demosth. 13 vol. 3 p. 501 *φησὶν ὁ τραγικός* Aeschylum dici alia testimonia declarant; Soph. fr. 210 schol. Pind. Nem. 4 v. 51 *παρὰ τοῦτο ὁ τραγικός*, Sophocles propter alium locum; Eur. fr. 483 Iustin. Mart. vol. 1 p. 134 *ἐν Φρίξῳ ὁ τραγικός* Euripides ob eandem causam, itemque Eur. fr. inc. 894 Themistios p. 275b *ὁ μὲν οὖν τραγικὸς ποιητής*.

1) Quod monet Welckerus Nachtr. p. 64.

bantur, vestigium cernitur, ubi legimus ὁ λόγος ἐκ Σθενεβοίας Εὐριπίδου· τινὲς δὲ οἴονται ἐκ Βελλεροφόντου παρῳδῆσθαι (Eur. fr. 665 schol. Ven. Ar. Pac. v. 125), nec aliter intellegendum videtur ἔστι δὲ Εὐριπίδου ἐκ Τηλέφου ἢ Τληπολέμου (Eur. fr. 727 schol. Ar. Pac. v. 528)[1]. Parum liquet quomodo explicandum sit, quod sub Euripidearum Ἠλέκτρας (Eur. fr. inc. 846 Stob. flor. 49,4) et ἱκετίδων nomine (fr. inc. 850 Hes. 1 p. 320) afferuntur, quae in superstitibus his fabulis non reperiuntur. Ubi Sophoclea Οἰδίπους laudatur (Soph. fr. 662 Stob. flor. 114,6, cod. Vind. ὀι), falso videtur librarius fabulae nomen, cum abscisse scriptum esset, supplevisse, quoniam alius locus (Cic. Tusc. 3, 29, 71), qui eadem servavit Latine versa, de Oileo ea scripta fuisse docet.

Proprium quoddam vitium veteres admiserunt, cum ne eas quidem fabulas satis internoverunt, quae in una didascalia locum habebant. Atque ut praeceptor carissimus Birtius me monuit, ex ea ratione hoc explicandum erit, qua eiusmodi fabulae in libris conscriptae erant. Videntur enim citantes grammatici saepius ita egisse, ut, cum fabulae illae coniunctim in uno libro scriptae essent, neglecto singulari indice eum tantum inspicerent, quo in totius didascaliae capite prima signata legebatur. Nec tamen hoc factum esse poterit, nisi ubi de scripto laudabant. Sic igitur sub Ἀγαμέμνονος nomine memorantur, quae in Χοηφόροις leguntur (Poll. 4,110, Hes. v. γονίας)[2]; Προμηθεῖ δεσμώτῃ adscribuntur, quae in λυομένῳ scripta fuerunt (Aesch. fr. 189 Galen. vol. 17,1 p. 879 sq.)[3]; item δεσμώτῃ, quae in ea non leguntur (fr. 182 schol. Aristid. p. 501)[4]; quae Γλαύκου (ποντίου) fuisse veri simile est, Πέρσαις tribuuntur (Aesch. fr. inc. 277 Athen. 3 p. 86b; fr. 278 schol. Hermog. in Walz. rhett. Graec. vol. V. p. 487)[5], quamquam

1) Cf. Welck. Trag. p. 696.

2) Cf. God. Hermann. ad Aristot. Poet. p. 110.

3) Cf. Nauck. ad fr.

4) Quae si recte hac ratione explicamus, novo argumento confirmatur, a vincto Prometheo Aeschyleam trilogiam incepisse.

5) Cf. Welck. Nachtr. p. 178, Nauck. ad fr.

possunt ea etiam ad alteram Persarum editionem referri, siquidem eam a poeta institutam esse constat (v. vit. Aesch.). Num vero idem error subsit, ubi Aeschyli *Αἰγυπτίους* pro *ἱκέτιδας* laudari viri docti putabant (Aesch. fr. 4 Etym. Gud. p. 227,41), dubium saltem videri debet[1]). Nec satis adhuc mihi liquet, qua ratione Ar. Ran. v. 1124 sqq. primi *Χοηφόρων* versus pronuntientur, proinde ac si haec prima *Ὀρεστείας* fabula fuerit.

par. 13.

Iam ne manca sit disputatio, restat ut brevi de didascalicis quot feruntur titulis videamus, quibus tres vel adiuncta satyrica quattuor fabulae una editae comprehenduntur. Sunt autem eiusmodi indices Aeschyli *Ὀρέστεια*, quo nomine dicuntur fabulae *Ἀγαμέμνων Χοηφόροι Εὐμενίδες Πρωτεύς σατ.* (Ar. Ran. v. 1124 et schol.); *Λυκούργεια*, fabulae *Ἠδωνοί Βασσαρίδες*[2]) *νεανίσκοι Λυκοῦργος σατ.* (schol. Ar. Thesm. v. 135). Item coniunctas fabulas significare videntur tituli *Προμηθεύς* (cf. supra par. 6); *Λυκοῦργος* (quia Aristarchus scripserat *ὑπόμνημα Λυκούργου*)[3]); *Πέρσαι* fabulae *Φινεύς Πέρσαι Γλαῦκος Προμηθεύς σατ.* (in locis modo allatis); *Δαναΐδες*, fabulae *ἱκέτιδες Θαλαμοποιοί Αἰγύπτιοι Ἀμυμώνη σατ.* (in catalogo)[4]). Addes fortasse[5]) *Πενθέως* nomen, dictum pro fabulis (*Σεμέλη ἢ*) *ὑδροφόροι Βάκχαι ξάντριαι* (catalog.; arg. Eur. Bacch.; Aesch. fr. 177 Galen. vol. 17,1 p. 880). At computes haec. Galenus l. l. uno tenore citat *ἐν ξαντρίαις* et *ἐν Πενθεῖ; Πενθεύς* ter memoratur,

---

1) Cf. enim Birt. in Mus. Rhen. vol. 31 p. 424 not. 4.

2) Didascalico hoc testimonio satis refellitur altera nominis forma quae aliquoties invenitur *Βασσάραι*. Quam qui inscripsit Dindorfius parum videtur respexisse Aeschyleum locum quem ipse affert (Aesch. fr. 64b), servatum in Etym. M. p. 191,5; ex eo enim cum appareat, *βασσάρας* Aeschylum Baccharum vestimenta dixisse, dubium redditur, num eodem nomine ipsas Bacchas vocarit. Item mutata terminatione, etsi inversa ratione, *Βάκχαι* saepius *Βακχίδες* dicuntur, velut Soph. Antig. v. 1130.

3) Cf. Welck. Prom. p. 325.

4) Cf. Birt. l. l. p. 417 sqq.

5) Si sequeris Welck. Prom. p. 330.

Βάκχας unus catalogus exhibet; *Βάκχας* inscripsit qui totius Aeschyleae trilogiae argumentum una fabula absolvit Euripides; *Βακχῶν* nomen non infitiabere longe aptius esse quam Pentheum ad earum fabularum seriem signandam, quae Dionysi res amplectebantur. Itaque ego quidem toti didascaliae *Βακχῶν* nomen tribuerim, *Πενθέα* potius secundae fabulae, atque id eo probabilius, ni fallor, quod hac ratione etiam in titulis trilogia variationem aliquam praebet[1]).

Omnia autem haec nomina[2]) per se patet grammaticis deberi, qui argumentum per tres quattuorve fabulas tractatum simplicitatis gratia principali uno indice notarunt. An putas poetam supervacaneum hoc fecisse, cum iam primo titulo tota fabula, quae agebatur, satis indicata esset? Nec id mirum duces quod omnia illa unius Aeschyli sunt. Quae enim Aeschylus simul edebat dramata si non constanter at saepius tamen in amplo uno argumento versabantur per tres tragodias continuato; ceteri principes plerumque hanc fabularum perpetuitatem neglexerunt.

par. 14.

Sed quoniam identidem supra Rischelius nobis respiciendus erat, liceat hoc loco paucis comprehensa ea afferre, quae eximius vir ll. ll. in universum de inscriptionum variationibus disseruit.

Ac primum quidem evenisse dicit, ut pro Graecae fabulae a Latino poeta expressae Graeco titulo Latinus poneretur is, quo ille verteretur; velut Caecilii laudatur Obolostates et Faenerator, Hypobolimaeus et Subditivus, Laberii Scylax et Catularius. Nec minus illud factam monet, ut inversa ratione pro Latino indice a grammaticis, fortasse etiam in nova editione

1) Cf. Birt. l. l. p. 422 sq. »varietatem summam appetiit (scil. Aeschylus) cum coniungeret Phineum Persas Glaucum, Edonos Bassaridas Neaniscos, Agamemnonem (senes in choro) Choephoros Eumenidas.«

2) Dicta sunt illa *Ὀρέστεια*, *Λυκούργεια* a veteribus intellecto verbo *τετραλογία*, quod in ipsis testimoniis legitur, nec video qua ratione Dindorfius poet. scen. proll. p. 7 contendat ea dicta esse ut neutra pluralia intellecto verbo *ἔπη*.

paranda id nomen inscriberetur, quod Graeci exempli fuerat; sic enim Plauti Mostellariam bis Phasma nuncupari.

Deinde ex Latina comoedia eius mutationis exempla affert, quam de Graeca tragoedia iam Welckerus animadverterat, qua videmus principalis personae nomen genuino indici substitui; velut pro Plauti Milite glorioso laudatur Pyrgopolinices, Chrysalus pro Bacchidibus, Cacistus pro Vidularia, Syrus pro Cistellaria. Addit tamen vix usquam tales variationes locum habuisse nisi in litteratorum libris.

Tum vero ita quoque duos indices utrumque Latinum in usum venisse dicit, ut pro singulari persona appellativum nomen inscriberetur. Sic enim fabulas, quae post poetae mortem recentiore tempore novarum loco denuo in scenam proferebantur, mutato indice vocatas esse, velut Plauti Sortientes pro Casina, Patruum Pultiphagonidem pro Poenulo, fortasse etiam Phasma pro Mostellaria; sic etiam duobus titulis iisque coniunctis in duplicem unum et eas vocari, in quibus alteri nomini distinctionis gratia aliud poeta adscripserit ea de causa, quia iam antea fabulam eodem illo nomine signasset, velut in Pomponii Cretula vel Petitore, Haruspice vel Praedone rustico, et eas, quarum altero nomine repetita ab ipso poeta editio indicetur, ut Pseudoplautinam Caecum vel Praedones itemque fortasse Pomponii Vaccam vel Marsupium.

Certe vero propriam quandam vim doctissimus vir monet apud Romanos duplices inscriptiones habere, apud Graecos comicos nil fere nisi arbitrium ac libidinem valuisse.

par. 15.

His ita perpensis cum in titulorum turba quae genuina sint, quae spuria noverimus, iam rei conducet, cunctos qui supersunt ordine dispositos ita perlustrare, ut quam rationem poetae in nominandis fabulis secuti sint aliquatenus appareat. Quod autem de hac re summatim tantum cum moderatione quadam agetur, haud mirum duces. Cavendum enim ne certam regulam, quae nobis videtur ex iis quae accepimus constitui posse, etiam ipsum poetam putemus data opera sibi proposuisse, nec quale consilium singulis indicibus subsit ad

imum pernoscere licet, sed per se patet in his rebus merum poetae arbitrium ac fortuitas condiciones aliquid valuisse a nostrae scientiae finibus remotiores. Tamen in universum aliquae leges se offerunt, quae cum in quavis inscriptione primae sint, etiam hic debent ratae fuisse. Ipsa enim indicis natura, quod per se patet, postulat, ut fabulae summa, quam maxime uno nomine possit, convenienter rei atque significanter adumbretur. Verum quoniam haec definitio non tam creantis ac proferentis poetae, quam percipientium posteriorum est, nescio an ipse poeta eam potius principalem legem habuerit, quae altera in omni nominatione est, ut quam arctissimus ac brevissimus index esset. An vero, si aliter res se haberet, longe plurimae fabulae uno simplici nomine essent inscriptae? Atque hac ratiocinatione adducti, quae sua sponte satis constat, supra in amplioribus titulis omnibus simplicitatem efflagitavimus.

Tria autem in universum titulorum genera videntur statui posse. Petiti enim sunt aut a choro aut a singulari persona aut ab ipsa re. Atque earum fabularum, quibus chorus nomen dedit, in nonnullis titulis chori gens et origo significatur. Sic inscriptae sunt Aeschyleae *Αἰγύπτιοι, Αἰτναῖαι, Ἀργεῖοι, Ἐλευσίνιοι, Ἠδωνοί, Κᾶρες (ἢ Εὐρώπη), Κρῆσσαι, Λήμνιαι, Μυρμιδόνες, Περῤῥαιβίδες, Πέρσαι, Σαλαμίνιαι, Φρύγες (ἢ Ἕκτορος λύτρα)*, Sophocleae *Αἰθίοπες (= Μέμνων), Δόλοπες, ἐπίγονοι (= Ἐριφύλη), Καμίκιοι (= Μίνως), Κολχίδες, Λάκαιναι, Λαρισαῖοι, Λήμνιαι, (Ἀτρεὺς ἢ) Μυκηναῖαι, Μυσοί (= Τήλεφος), Σκύθαι, Σκύριοι, Τραχίνιαι, Φαίακες, Φθιώτιδες, Φρύγες*, Euripidis *Κρῆσσαι, Κρῆτες, Σκύριοι, Τρῳάδες, Φοίνισσαι*. Quibus accedunt unius Aeschyli eae, quarum chorus numinibus efficitur, *Εὐμενίδες, Ἡλιάδες, Κάβειροι, Νηρεΐδες*. Aliis nominibus vitae condicio vel aetas chori notatur; cuiusmodi sunt Aeschyli *Βάκχαι, Βασσαρίδες, δικτυουλκοί, θαλαμοποιοί*[1], *ἱέρειαι, ὀστολόγοι, προπομποί, τοξότιδες, νεανίσκοι, (Σεμέλη ἢ) ὑδροφόροι*, satyricae *τροφοί, κήρυκες*, Sophoclis *αἰχμαλωτίδες, ποιμένες, μάντεις (= Πολύιδος), πλύντριαι (= Ναυσικάα), τυμπανισταί, ὑδροφόροι*, satyricae *ἰχνευταί, κωφοί, (Πανδώρα ἢ) σφυροκόποι*,

---

1) Pollux 7,122 hanc actionem *τέχνην* vocat.

Euripidis *Βάκχαι*, satyrica *θερισταί*. Alii denique tituli certum negotium indicant, quod chorus in ipsa fabulae actione factitat, Aeschyli *θεωροί (ἢ Ἰσθμιασταί)*, *ἱκέτιδες*, *ξάντριαι*, *χοηφόροι*, *ψυχαγωγοί*, Sophoclis *ῥιζοτόμοι* (= *Πελίας*), satyricae *Ἀχιλλέως ἐρασταί*, *σύνδειπνοι* (= *σύνδειπνον*, *Ἀχαιῶν σύνδειπνον*), Euripidis *ἱκέτιδες*. Atque omnes hos choros consentaneum est in singulis fabulis non solum eo, qui nomine significatur, vestitu ornatu apparatu insignitos in scenam prodisse, sed etiam saltandi figuras proprio quo fungebantur muneri conformasse[1]; quibus in rebus naturae quam consimillime instruendis et poetarum et choragorum erat, una cum splendore aliquo subtilitatem elegantiamque iudicii praestare. Sunt autem inter cunctas fabulas, si numerum spectas, pauciores chori nomine inscriptae. Tamen quod haud ita parvum numerum efficiunt — sunt enim septuaginta —, etiam eo declaratur, quanta fuerit in Graecorum tragoedia chori vis. At non aequo modo omnibus aetatibus. Magis enim magisque eam imminui vel numeri docent; Aeschylus, cuius fabulae cunctae circiter octoginta numerantur, triginta quattuor chori nomine signavit, Sophocles, qui plus centum scripsit, viginti octo, Euripides octo inter octoginta septem; porro apud recentiores tragicos etiam rariora occurrunt chori nomina, paene nulla sunt apud Romanos.

Iam consilium si quaeris, quo poeta chorum inscripserit, haud ita saepe ipsa actio fuit; perpaucae enim fabulae sunt, in quibus summa actionis a choro pendeat, velut inter superstites Aeschylea *ἱκέτιδες* et Euripidea *Τρῳάδες*. Plerumque igitur debet alia causa fuisse. Ac saepe nimirum una haec erat, quod inter singulares personas nulla satis insignis eminebat, quae aptius inscribi posset[2]; sic enim Sophocles *Τραχινίας* nominavit, in qua summam actionis vix dices penes unam aut Herculis aut Deianirae personam esse[3]). In nonnullis, maxime ubi chorus ex mulieribus constabat, ex eius nomine fortasse

1) Cf. Welck. Prom. p. 494 sqq.
2) Cf. Welck. Trag. p. 69 sqq.
3) Cf. Schneidewin. Soph. Trach. ed. IV. p. 28.

etiam hoc colligere licet, summam totius fabulae vim poetam in melicis carminibus posuisse, quod videtur de ἱκέτιδες valere. Sed dubito an etiam alia de causa poeta a choro titulum petierit. Etenim merum singularis personae nomen statim in universum quidem argumenti cognitionem aperiebat nobisque etiamnunc aperit; in chori nomine tale quid deest, quo intra certae fabulae fines adigamur, ita ut idem chori nomen, quamvis mutatis personis, prorsus diversis fabulis inscribi posset, velut ἱκέτιδας aliam Aeschylus, aliam Euripides nominavit, Σκυρίους aliam Sophocles, aliam Euripides. Poetam autem data opera in fabulae nominatione appetisse, ne spectatorum exspectatio ante tempus expleretur, sed etiam adaugeretur, ego quidem nequaquam improbabile dixerim. Accedit hoc. Personae singularis nomen condicionemque spectatores aut ab ipsa comperiebant aut ab alia persona, plerumque a choro, vel alloquente eam vel procedentem indicante, id quod facile ex superstitibus fabulis cognosces; chori intrantis qualis natura esset, quamquam ornatu apparatuque aliqua ex parte notabatur, tamen dubitari poterat; eamque dubitationem videtur poeta in titulo voluisse antevertere. Atque hac ratione non multo post quam ipsa fabula spectari coeperat, omnia spectatoribus, quae sciri debebant, satis expedita erant[1]). Inter omnes autem choros indicasse hoc loco satis est nullum aeque significanter inscriptum esse atque Εὐμενίδας, in quo nomine totius Oresteae trilogiae prosper exitus mente praecipitur.

Longe vero plurimae fabulae, quas longum est singulas adscribere, maximeque inter principes Euripideae, a singulari persona nomen acceperunt. Erat enim haec aptissima signatio eius argumenti, quod in unius personae vel patientis vel agentis rebus versaretur. Atque quia summa actionis primarum partium actori tributa erat, a primaria persona solet titulus petitus esse. Tamen videntur non eae fabulae deesse, quibus inferior persona inscripta sit[2]). Singularis autem personae locum non-

---

1) Euripides etiam in prologo rerum expositionem praebet.

2) Cf. Welck. Prom. p. 69.

numquam videmus coniunctas inter se plures tenere; sic enim gentilem quendam indicem habent fabulae eae, in quibus totius stirpis res aguntur, Aeschyli *ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας*, *ἐπίγονοι*, *Ἡρακλεῖδαι*, Sophoclis *Ἀλεάδαι*, *Ἀντηνορίδαι*, Euripidis *Ἡρακλεῖδαι*, *Πελιάδες*, *Τημενίδαι*.

Admodum pauci tituli sunt ab ipsa re petiti, quae in fabula agebatur, Aeschyli *ὅπλων κρίσις*, *ψυχοστασία*, Sophoclis *Ἀχαιῶν σύλλογος*, *Ἑλένης ἀπαίτησις*, satyricae *Ἑλένης γάμος*, *ἔρις*, *κρίσις*, *ὕβρις*.

Operae pretium videbatur, per appendicem hoc loco ea veterum de tragicorum principibus testimonia conscribere, in quibus didascaliarum quamvis exigua vestigia latent, atque ita quidem, ut ad annorum ordinem ea redigerentur[1]).

Ol. 76,4 (a. Chr. n. 472) arg. Aesch. Pers. *ἐπὶ Μένωνος τραγῳδῶν Αἰσχύλος ἐνίκα Φινεῖ Πέρσαις Γλαύκῳ Προμηθεῖ.*

Ol. 78,1 (467) arg. Aesch. Sept. c. Theb. *ἐδιδάχθη ἐπὶ Θεαγένους ὀλυμπιάδι οή. ἐνίκα Λαΐῳ Οἰδίποδι Επτὰ ἐπὶ Θήβας Σφιγγὶ σατυρικῇ. δεύτερος Ἀριστίας Περσεῖ Ταντάλῳ Παλαισταῖς σατυρικοῖς τοῖς Πρατίνου πατρός. τρίτος Πολυφράδμων Λυκουργίᾳ τετραλογίᾳ.*

Ol. 80,2 (458) arg. Aesch. Agam. *ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ ἄρχοντος Φλοκλέους ὀλυμπιάδι ὀγδοηκοστῇ* (cod. *κη*) *ἔτει β'. πρῶτος Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι Χοηφόροις Εὐμενίσι Πρωτεῖ σατυρικῷ. ἐχορήγει Ξενοκλῆς Ἀφιδνεύς.*

Ol. 81,1 (455) vit. Eurip. *ἤρξατο δὲ* (Euripides) *διδάσκειν ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος κατὰ ὀλυμπιάδα πά ἔτει ά· πρῶτον δὲ ἐδίδαξε τὰς Πελιάδας, ὅτε καὶ τρίτος ἐγένετο.*

Ol. 84,2 (442) marm. Par. ep. 50 (v. Welck. Trag. p. 441) *ἀφ' οὗ Εὐριπίδης ἐτῶν ὢν ΔΔΔΔΙΙΙ τραγῳδίᾳ πρῶτον ἐνίκησεν ἔτη[...ἄρχ]οντος Ἀθήνησι Διφίλου.*

Ol. 85,2 (438) arg. II. Eur. Alcest. *ἐδιδάχθη ἐπὶ Γλαυκίνου ἄρχοντος ὀλυμπιάδος πε' ἔτει δευτέρῳ* (sic coni. Dindorf., cod. Vat. *τὸ λ'*). *πρῶτος ἦν Σοφοκλῆς, δεύτερος Εὐριπίδης Κρήσσαις Ἀλκμαίωνι (τῷ διὰ Ψωφῖδος) Τηλέφῳ Ἀλκήστιδι.*

Ol. 87,1 (431) arg. Eur. Med. *ἐδιδάχθη ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος ὀλυμπιάδος πζ' ἔτει (πρώτῳ). πρῶτος Εὐφορίων, δεύτερος Σοφοκλῆς, τρίτος Εὐριπίδης Μηδείᾳ Φιλοκτήτῃ Δίκτυϊ Θερισταῖς σατύροις. οὐ σώζεται.*

Ol. 87,4 (428) arg. Eur. Hippol. *ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἐπαμείνονος ἄρχοντος ὀλυμπιάδι πζ' ἔτει δ'. πρῶτος Εὐριπίδης, δεύτερος Ἰοφῶν, τρίτος Ἴων.*

---

1) Cf. quae de Euripide iam collegit Welckerus Trag. p. 440 sqq.